

WiMBP
Opole

I

1720 st
a,b,c

K-711/72-St


WBP
Opole



PHILIPPUS MELANCHTHON
Natus anno MCCCCXCVII
Mortuus anno MDLX.

J. C. Böcklin sc.

De

PHILIPPI MELANCHTHONIS

ortu, totius vitæ curriculo & morte,

Implicata rerum memorabilium temporis illius hominumque mentione atque indicio, cum expositionis serie cohærentium,

Narratio diligens & accurata

IOACHIMI CAMERARII
PABEPERGENSIS.



LIPSIAE,
Apud THEOD. MARTINVM HEYBEY.
Anno M. DC. XCVI.

IOACHIMI CAMERARII
PROOEMIVM
ad
Illustrissimum Principem ac
Dominum
DOMINVM
PHILIPPVM,
LANDGRAFIVM HASSIAE, PRINCIPEM CATTORVM &c.

SAepe & multum egerunt mecum amici, viuente adhuc & bene valente Philippo Melanchthone, vt, quæ de illius genere, vita, studiis, actionibus comperta haberem, literis mandare inciperem. Multa autem mihi nota esse arbitrabantur; quem & celeriter in eius familiaritatem peruenisse, quum ille primum sese in has regiones contulisset, & coniunctissime cum ipso vixisse scirent. Disputabant pertinere, me narrante potissimum cognosci illa, ad celebritatem necessitudinis nostræ; & hunc fructum capere vtrumque constantissimi in vera amicitia vsus, honestissimum simul atque iucundissimum videri. Sæpe literas mihi ab eo non aliter quam fratris nomine inscriptas legerant. Sæpe viderant quam amanter ipse me coram complecteretur,

& de me absente sermones honorificæ inprimis mentionis audiuerant. Quibus omnibus moti, & me nostræ amicitiæ hanc operam dare, & aliorum cupiditati conciliare istam notitiam æquum esse existimabant. Ego vero, qui & gauderem opinione de nostra coniunctione aliorum singulari, & mihi huius copiam gratularer, non nolui quidem hanc descriptionem aggredi & istud opusculum absoluere; sed nescio quo pacto semper interuenit aliquid quo hic conatus impediretur, donec æterni Dei voluntate e medio sublatus est & migrauit ex hac vita Philippus Melanchthon, cum ingente luctu & maximo dolore bonorum omnium, & occasionem mihi eripuit non modo gratificandi amicis, sed eiusmodi etiam expositionis edendæ, quæ ab ipso lecta & plenior & emendatior de eius admonitionibus diuulgari posset. Quum vero post casum mortis illius vehementer vrgeremur, vt tandem huius scri-

ptionis laborem ſuſciperemus, iniecit moram partim animi in recente mœrore perturbatio, partim, vt verum fatear, aliæ complures optimorum & doctiſſimorum virorum hoc argumento prolatæ lucubrationes; inter quas, quum neque opus eſſe iam putarem ſtudio in hac parte noſtro, & illis legendis ſæpe acquieſcerem, hebetiores redditæ fuerunt cogitationes animi mei, incitatioque priſtina reſedit. Itaque anno toto vertente res ea fuit dilata. Sed quum & amici ſubjicerent officii conſiderationem, & me recordatio conſuetudinis ſuauiſſimæ noſtræ indies quaſi interpellaret; ſenſi rurſum paullatim inſtigari me & impelli ad hanc operam, ſi poſſem, nauandam, & tempore neglecto, quo ad fruendum nobis communiter iſta elaborarentur, nunc quaſi exequiarum hac & funeris iuſta non perſoluere amico, ne impietatis crimen ſubirem, veritus ſum. Itaque & officio meo & amicorum voluntati

ſtudui tandem ſatisfieri, vt expungatur nomen, ne quid debeam, ſecundum Plautum. Neque aliorum iam edita præclara ſcripta me a propoſito deterrere par eſſe duxi, ac potius veluti calcar hoc adhibitum mihi fuit. Quod enim illi feciſſent vt teſtarentur affectionem erga mortuum ſuam, id me non facere indignum iudicabam. Quamuis autem eadem a me referrentur quæ illi commemorauiſſent, non tamen metui ne quis hoc reprehenderet; ac potius quum aliud quaſi filum animaduerteretur, diuerſæ orationis varietatem delectatione non carituram eſſe ſperaui. Denique quæ alii tradidiſſent, ea meo quaſi teſtimonio confirmari, & quæ reticuiſſent, diligentia noſtra explicari, neutiquam alienum viſum eſt.

Venit autem mihi in mentem, hoc proœmio tuam, illuſtriſſime Princeps PHILIPPE, clementiam compellare, & tuæ pietati virtutique, & in rerum

grauissimarum atque difficillimarum tractatione, forti, excelso, magno animo, veluti dedicare hæc composita a me de Philippo Melanchthone: qui & nomen haberes cum illo commune, & vivum clementissimo fauore esses complexus, & multorum, quæ in isto scripto vel enarrantur vel indicantur, testis & explicator esse posses. Scio etiam illustrissimæ Clementiæ tuæ iudicio atque sententia sæpe commendatum celebratumque singularem in modum Philippi studium in cognoscenda, & asserenda fortitudinem, & labores propaganda cœlestis veritatis & optimarum disciplinarum doctrina, & tuenda vtraque solicitæ probitatis integritatem, diligentiam, assiduitatem, fidem, & mortuo familiaris desiderii dolorisque acerbi tributum esse honorem. Statuente illustrissima consideratione tua, non ad suæ tantum patriæ vtilitatem & decus fuisse natum Philippum Melanch-

thonem, sed ad Germaniæ eximium ornamentum productum vniuersæ. Memoratur aliorum aliis locis glorioſa procreatio; Germania autem nostra, inque ea illustrissimæ domus Palatinæ, vicinæ terris tuis & coniunctæ etiam affinitatis vinculo, Bretta vrbs alumno Philippo Melanchthone ad omnium hominum memoriam commendata celebrabitur, & quasi in nitidissimo auro maximarum laudum aliarum, huius veluti gemmæ pulcherrima species enitebit: fama ortus & incunabulorum ipsius. Sane in hoc etiam genere & isto loco, quo Philippus Melanchthon fuit, illa, quemadmodum Poëta fecit de Empedocle & Sicilia:

Etsi magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur
Rebus opima bonis multa munita virum vi:
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se
Nec sanctum magis & mirum carumque videtur.

Atque mihi est persuasum, illustrissimam Clementiam tuam iudicii since-

ri & sententiæ incorruptæ grauitate; conseruare benignitatis constantissimum fauorem erga communem ciuem, neque pati vt bona de eo existimatio labefactetur, & tueri famam absentis huius, quem præsentem abs tua illustrissima mansuetudine & maximi fieri, & clementissima affectione diligi, est multis atque clarissimis signis declaratum.

Accidit autem huic id quod perpaucis, vt non quiesceret inuidia & odium post mortem ipsius; ac potius vt magis tum quam prius illo viuente pasceretur, carpens atque arrodens optimi & innocentissimi deque omnibus publice privatimque bene meriti sanctissimum nomen, & in hoc lacerando auram popularem colligens & applausum vulgi quærens: nimirum qui tantum & talem virum insectari non dubitassent, vt ipsi aliquid fuisse perhibeantur. In medio autem est huius sæculi mirifica vanitas in affectando scientiæ propriam quan-

dam & peculiarem famam; quam ita demum quidam consecuturos se sperant, si aliorum simplicem & planam doctrinam detorquendo & inuoluendo peruerterint. Deprehenditur hoc fieri in omnibus iis, quæ ingenii facultate & studii industria exponi solent, vsque adeo vt nihil iam fere sine contentione & iurgiis atque certaminibus disputetur aut enarretur. Accedit summa inhumanitas, vel vt verius dicam immanitas, conuiciorum & maledictorum, & pertinacium in altercando rixarum; quæ nisi vsurpentur, neque autoritatem habere quicquam, neque conseruari libertatem plerique existimant. Quid dicam de impudentia ac sauitia insolentiæ? Quæ leuissimis sæpe de rebus capitales inimicitias exercet & prælia ciet cruenta; quum pietatis & humanitatis lenitas atque verecundia, de veritate quoque, & in caussis grauissimis, seueritatem illa quidem, vt decet, adhibeat,

ſed remoueat iracundiæ atque odii importunitatem. Quæ intuens non poſſum non admodum timere, ne magna calamitas honeſtis & liberalibus ſtudiis impendeat, euaſura ad religioſæ etiam pietatis detrimenta. Niſi fortaſſe, id quod multo triſtius eſt, iſta quaſi murmura antecedunt tempeſtatem extremæ barbariæ, qua inter verborum ſententiarumque diſſidia, excitatis etiam bellorum prœliis, vna cum rebus ſpes quoque bona penitus extinguatur atque intereat. Sed de hoc fiat, quod æterno Deo viſum fuerit, cuius miſericordiam imploremus, vt propitius nobis reprimat iræ iuſtiſſimæ impetum, & clementer parcat veniamque det tam ſtultitiæ peccatis quam improbitatis dclictis.

Ad Philippum autem Melanchthonem quod attinet, haud ſcio an vel inprimis glorioſa ſit huic maleuolorum contumelioſa obtrectatio; quæ hoc profecto efficit, vt & perſonæ Philippum Melanchthonem reprehendentium, & res quæ notantur, & tractationis futilitas atque peruerſitas, ſcurrilisque audacia atque impudentia, eum, quem oppreſſum cupiunt, altius extollant, & cuius nomen infamare conantur, illius hoc reddant admirabilius atque illuſtrius. Non aliter quam de noctis tenebris & caligine, diei lucem atque ſplendorem eminere & magis conſpici cernimus. Potuerunt Socratem calumnia accuſationis lædere, & popularis leuitatis iudicio condemnare, Anytus, Melitus & Lycon; ſed ſapientiæ virtutisque exiſtimationem tantum abeſt vt diminuerint, vt aucta hæc ad accuſatorum dedecus & ignominiam redundarit ſempiternam. Nihil tale aggreſſum eſt ignauum odium & cum formidine coniuncta inuidia, neque omnino ſtruere machinarique valuit in Philippum Melanchthonem viuentem. Nunc exultat importuna temeritas, & excurrit vaniſſima iactatio huius & il-

lius, qui, vt Græcorum vulgus Hectoris interfecti corpus fortiter confixerunt, quemadmodum cecinit Homerus, telis suis; sic mortui Philippi Melanchthonis nomen ignominiis & probris appetunt. E quibus vnus cæteris ferocior glorioso voto optat adhuc superstitem esse Philippum Melanchthonem, vt in eo scilicet vim ingenii & doctrinæ copiam experiri liceat. At hic si vultum isti nugatori suum ostendat reuersus, profecto ipsi & gregalibus atque sociis ad pedes statim animus delabatur, & in fuga

per aperta citatis
Atria, quamuis lata domus arcta ostia fiant,

quemadmodum ait apud eundem Poetam adhuc ignotus procis Ulysses. Alter turbulentæ istius & seditiosæ catervæ & ipse signifer, delicatus scurra, tanquam Thersites, studio sibi habet lacessere maledictis summos & maximos viros: qui nescio quos funestos capiti quidem ille suo cantus effutire fertur,

sic effundens furiosas verborum spurcorum nugas, vt aliquos dicatur reperire qui ipsum audiant, & voce eius etiam permulceantur, quamuis hoc deterius non

ille sonet, quo mordetur gallina marito,

tum quidem quum immaturi & absoni modi ab intorto gutture eliduntur. Adiunxit se his pietatis & humanitatis omnis manifestus hostis, transfuga quidam, qui talia iam scripta edidit, qualia si non dico probare sed omnino ferre possunt promulgari, illi ipsi, quibus impudens os istud turpissime assentatur, sane miror. Hi inter se discordantes, in oppugnando tamen nomine & conuellenda opinione doctrinæ Philippi Melanchthonis iam conspirant, & hanc quasi in medio positam palmam habent, vt confidentissime & insolentissime inuehantur in viri, pietate, virtute, sapientia, humanitate, integritate, fide præstantissimi famam, & eius, qui de

ipsis non modo optime est meritus, sed sine cuius benignitate atque beneficentia ipsis obscuris & ignotis delitescendum, & famelicis atque nudis esuriendum & algendum fuisset. Verum etsi indignitas facinorum istorum tanta est, vt a potentia quoque pia atque religiosa, & de salute patriæ solicita, animaduertenda sit; futilitas tamen ineptiarum tam friuola est, vt, quod quidem ad Philippum Melanchthonem attinet, istiusmodi βωμολοχίαι contemnendæ simpliciter neque omnino curandæ esse videantur. Nisi putamus eruditissimi viri Theophrasti caussa moueri aliquem debuisse, quod contra illum meretricula quædam Leontium, vt accepimus, nescio quid libri scripsisset & emisisset. Nam virus istud maledicentiæ nefariæ non nocet profecto Philippo Melanchthoni, quum sibi auctores huius ipsis, non illi, fœdissimas notas inurant ignomi-

niæ & infamiæ, quas nulla vnquam dies eluere poterit, quæque hærebunt in ipsorum memoria, si qua forte ad posteritatem propagabitur, perpetuo. Quos vel debitæ & salutari in pœnitendo perturbationi, vel vltricibus scelerum pœnis relinquentes, ita pergamus, & id agamus quod instituimus.

Et tuæ quidem, illustrissime Princeps, clementissimæ pietati & sapientiæ, vt spero inprimis, sed & aliis compluribus, gratam acceptamque futuram narrationem & quasi historiam exponamus; commemorantes ea, quæ de Philippi Melanchthonis patria, parentibus, genere, educatione, vita, moribus, morte, partim ipsi nos præsentes cognouimus, partim explorauimus, & certo veroque indicio comperimus. Quibus si quædam aspergerentur quum negotiorum tum personarum mentiones huc pertinentes, vel non abhor en-

tes certe ab instituto opusculo, neque hoc reprehensum, ac potius sententia bonorum & non inhumanorum omnium probatum iri, sumus arbitrati.



ELEN-

ELENCHVS

præcipuorum argumentorum, quæ in singulis capitibus enarrantur.

I. *PHILIPPI MELANCHTHONIS patria & parentes.*

II. *Magistri eius pueritiæ in schola Brettana & Phorcensi, ingenii eiusdem præstantia, indoles, literarum cupido, morum suauitas, docilitas, moderata iracundia, pronunciatio grata: Reuchlinus studia eius moderatur, nomenque* Schwarzerd *in* Melanchthonis *mutat appellationem.*

III. *Magistri eius in academia Heidelbergensi & Tubingensi. Prima laurea Heidelbergæ, Magisterii dignitas Tubingæ ei collata. Eberhardi Ducis Wurtenbergici, conditoris Academiæ Tubingensis, amor a subditis. Philippi Melanchthonis ingens discendi ardor, cumprimis erga Theologiæ studium amor, & assidua Bibliorum lectio.*

IV. *Io. Naucleri Chronicon Philippus Melanchthon Tubingæ recenset & auget. Io. Reuchlinus, a Dominicanis & Colonienſibus monachis*

grauiter vexatus, ab Vlrico Hutteno Equite & aliis amicis vindicatur, a Philippo Melanchthone etiam adiuuatur.

V. *Temporum istorum & hominum ratio peruersa, barbariem in studiis præ cultu eorum, & superstitionum impietatem præ veræ doctrinæ exorientis luce, retinere cupientium.*

VI. *Philosophi scisti in duas factiones, Reales & Nominales: posteriori adhærens Philippus Melanchthon, amicitiam inter ambas partes conciliare studet.*

VII. *Philippus Melanchthon a Friderico III. Electore Sax. Wittenbergam anno 1518 per Io. Reuchlinum arcersitur: in itinere Norimbergam & Lipsiam transit: Lipsiæ conuiuio academico excipitur.*

VIII. *Wittenbergam Philippus Melanchthon omni studiorum genere exornat; Croco & Mosellano in disciplinis & linguis tradendis felicior & elegantior.*

IX. *Philippi Melanchthonis cum Martino Luthero contracta amicitia, indeque enata arcta familiaritas & assidua consuetudo. Perversa ratio doctrinæ & rei ecclesiasticæ isto tempore, ac necessaria eius reformatio.*

X. *Nulla reformationis culpa, nec isti imputandæ calamitates eam secutæ, quas ipsi contraxerunt qui emendari agre ferebant. Colloquium*

quium Carolostadii & Lutheri cum Io. Eccio, Lipsiæ anno 1519 habitum,

XI. *Amicitiæ inter Philippum Melanchthonem & Ioachimum Camerarium firmatæ occasio.*

XII. *Matrimonium Philippi Melanchthonis cum Catharina Crappia, anno 1520 initum, cultumque per annos XXXVII, & susceptiex eo quatuor liberi, Philippus, Georgius, Anna & Magdalena. Coniugis Catharinæ probitas & beneficentia. Mariti comitas & humanitas.*

XIII. *Domesticæ Philippi Melanchthonis vitæ ratio, & insignis ac tantum non prodiga benignitas & erga studiosos humanitas. Domestici ministri Iohannis Sueui fides & dexteritas. Impudentia cuiusdam, in auferendis a Philippo Melanchthone veteribus nummis, benignitate eius abutentis.*

XIV. *Comitia Wormatiensia anno 1521 a Carolo V Cæsare habita, adquæ vt caussam diceret vocatus Lutherus. Exorta eo tempore Anabaptistarum secta: eorum dogmata: addicti iis Nicolaus Storch, Marcus Stubnerus, & Martinus Cellarius, postea Borrhaus dictus.*

XV. *Anabaptistæ a Mart. Luthero Wormatia 1522 reuerso compescuntur.*

XVI. *Philippi Melanchthonis in docendo Wittenbergæ assiduitas & studium.*

XVII. *Eius habitus corporis & animi: statura, forma, insomnia, incuria corporis, animus vehemens, comitas, candor, naturæ bonitas, mansuetudo, festiuitas, felicitas memoriæ, officiositas, liberalitas, pro amicis solicitudo, laborum tolerantia, verecundia, valetudo, morbi, victus, vestitus, vox, incessus, gestus.*

XVIII. *Eius studia, pietas, linguæ Hebraicæ cognitio, mathematicarum disciplinarum cultus, astronomiæ amor. Bernhardi Ziegleri & Casparis Borneri laus.*

XIX. *Philippus Melanchthon quam orationis & eloquentiæ rationem tenuerit, & quod genus dicendi sectatus sit: in sententiis, ἀπεκδοχαῖς, exemplis, αὐτίκως, prorsus singularis; in originibus nominum inuestigandis felix; in expositionibus dilucidus & cautus.*

XX. *Eius diuinandi & præsagiendi somniaque interpretandi facultas: physices & astrologiæ studium: chiromantices scientia quatenus ipsi probata.*

XXI. *Philippi Melanchthonis ingenium placidum, a rixis & contentionibus alienum; inde ipsum insectantium iniuriæ silentio vindicatæ.*

XXII. *Scripta eius ab aliis euulgata, non satis elaborata, sed quomodocunque excepta, quo loco sint habenda.*

XXIII.

XXIII. *Constans eius cum Ioachimo Camerario amicitia & firma coniunctio.*

XXIV. *Mors, quæ ipsi contigit beata prorsus, ob temporum malignitatem opportuna atque exoptata censenda.*

XXV. *Philippi Melanchthonis iter in patriam, comitibus Wilh. Neseno, Franc. Burcardo, Io. Silberbornero, & Ioach. Camerario. Petri Mosellani & Vlr. Hutteni mors, ac huius ingenii morumque character.*

XXVI. *Philippi Melanchthonis libera ad Card. Campegium responsio, & cum Philippo Hassiæ Landgrafio colloquium in itinere.*

XXVII. *Wilh. Neseni mors in vndis, eiusque præsagia.*

XXVIII. *Henr. Zutphaniensis crudele ignis supplicium.*

XXIX. *Andreæ Carolostadii turbæ. Seditiones rusticæ.*

XXX. *Lutheri coniugium. Friderici III Electoris Sax. mors.*

XXXI. *Philippus Melanchthon Norimbergam accersitur ad deliberationem de ludo literario ibi constituendo: primi in ea vrbe doctrinæ magistri Ioach. Camerarius & Ioh. Schonerus: Sig. Gelenius Basilea eo se conferre recusat.*

XXXII. *A Comite Mansfeldensi Alberto legatio-*

gationis Hiſpanicæ comes lectus Ioach. Camerarius: qua tamen legatione intermiſſa, is Norimbergam redit, eodemqun anno patrem amittit, de coniugio cum Anna Truchſeſſia de Gruensberg contrahendo conſilia init, & fratris Hieronymi, ab Epiſcopo Bambergenſe capti, calamitate afflígitur.

XXXIII. *Iohannes Elector Sax. belli, ob famam fœderis inter Pontificios ſanciti ab Ottone Paccio ſparſam, exorituri incendium reſtinguit. Viſitatio Eccleſiarum Saxonicarum, & de ea Philippi Mel. editus libellus obtrectationi expoſitus. Hic a Pontificiis, vt ad partes ipſorum diſcederet, per Io. Fabrum ſolicitatus.*

XXXIV. *Conuentus Spirenſis, ad dirimendas controuerſias eccleſiaſticas inſtitutus: in eo adhibita a Philippo Melanchthone circumſpectio probata.*

XXXV. *Periculum Simoni Grynæo intentatum, conſilio Philippi Melanchthonis euitatur.*

XXXVI. Proteſtantium *nomen. Philippi Melanchthonis prudentia in diſſidio religonis adhibita, ab obtrectatoribus maledicis nique ſugillata.*

XXXVII. *Conuentus Marpurgenſis ab Haſſiæ Landgrafio indictus. Caroli V ſolicitudo de*

de inueſtiganda veritate in controuerſis religionis capitibus, eiusque impedimenta.

XXXVIII. *Comitia Auguſtana, inque iis edita Confeſſio fidei: in ea conſcribenda Philippi Melanchthonis ſtudium & prudentia.*

XXXIX. *Philippi Melanchthonis circumſpectio, lenitas ac timiditas a multis iniuſte reprehenſa, & omnia ad conciliandam ei inuidiam conquiſita.*

XL. *Io. Cochlæi & Frid. Staphyli erga Philippum Melanchthonem malignitas. Etſi is omnis erroris ac labis neutiquam cenſendus eſt fuiſſe expers.*

XLI. *Confeſſionis Auguſtanæ apologia a Philippo Melanchthone ſcripta; quæ quum frequenter ederetur, ſubinde dilucidior ab ipſo fuit reddita.*

XLII. *Conciliatio Pontificiorum & Proteſtantium fruſtra tentata.*

XLIII. *Conſilia de fœdere Proteſtantium ineundo. Decreti Auguſtani executio formidata. Inducíæ factæ.*

XLIV. *Iohannis Electoris Sax. mors. De oecumenica Synodo cogenda deliberationes ambiguæ.*

XLV. *Cometæ viſi. Peſtis Norica, & Norimbergenſis ſchola clades. Henrici VIII Angliæ Regis*

Regis diuortium, & a Pontifice Romano defectio. Vlrici Ducis Wurtenbergici restitutio. Academiæ Tubingensis ordinatio.

XLVI. *A Britanniæ & Galliæ Regibus Philippus Melanchthon expetitur. Vtriusque Regis immanis crudelitas erga doctrinæ verioris assertores. Academia Wittenbergensis Ienam translata ob pestem.*

XLVII. *In Gallia multi viui combusti, ægre ferentibus id isto in regno prudentioribus. Wilhelmus Bellaius fauet Germanis ibi agentibus. Philippi Melanchthonis literæ ad Io. Bellaium Langæum Episcopum Parisinum. Barnabas Voræus Philippum Melanchthonem solicitat, vt secum in Galliam proficiscatur. Huius de itinere isto ambigua consilia. Regis Galliæ ad eum literæ.*

XLVIII. *Consilium itineris Gallici Philippus Melanchthon abjicit, & datis ad Franciscum literis se excusat. Varia de omissa Gallica profectione iudicia. Flamma ante ædes Philippi Melanchthonis de cœlo cadere visa. In Britanniam iterum is accersitur, hypochondriacis doloribus vexatus.*

XLIX. *Philippi Melanchthonis iter in patriam & Tubingam, comite Iac. Milichio. De itinere isto diuersæ sententiæ.*

L. *Philippi Melanchthonis lapsus de scalis. Mors*

Mors Des. Erasmi Roteradami. Academiæ Tubingensis expostulatio cum Pontificiis super Cancellariatus academici munere, & Philippi Melanchthonis ea de re sententia.

LI. *Conuentus Smalcaldensis: in eo grauis Lutheri morbus.*

LII. *Calumniis maleuolorum & obtrectationibus vexatus Philippus Melanchthon. Iacobi Sadoleti Card. epistola ad eundem.*

LIII. *Cometa conspectus. In Britanniam e Saxonia quidam profecti, & Philippus Melanchthon eodem vt veniret inuitatus. Pontificii ipsi de emendando statu suo soliciti sunt. Principum quorundam conuentus Brunsuicensis. Antinomorum dogmata a Luthero confutata.*

LIV. *Epigrammatibus quibusdam a Simone Lemnio editis creata Philippo Melanchthoni molestia. Ioachimus Camerarius Wittenbergam proficiscitur. Matthæi Friderici, seu Irenæi, miserabile fatum.*

LV. *Philippi Melanchthonis iter cum Elector Sax. Ioh. Friderico ad comitia Francofurtensia. Liber ab eo scriptus. Mortuo Georgio Sax. Duci succedens frater Henricus ecclesiasticam rem aliter constituit. Seb. Munsteri mors, peste domui ipsius illata a fratribus Geuderis. Ioachimus Camerarius in Academiam Lipsien-*

sem

sem ad docendas literas vocatus. Philippi Melanchthonis vehemens morbus in itinere Hagenoensi, ex animi dolore contractus, consolationibus Lutheri & cura Sturciadæ depulsus.

LVI. *Incendium Tubingense. Colloquium Wormatiense.*

LVII. *Comitia Ratisbonensia: ad quæ Philippus Melanchthon proficiscens, curru deiectus, manum grauiter afflixit. Liber ibi prolatus, e quo is postea constatus fuit, qui* Interim *dictus. Mors Sim. Grynæi, Eobani Hessi, Wolfg. Capitonis & Iac. Bederoti. In Galliam iterum Philippus Melanchthon inuitatus. In Britannia crudeliter & inique gesta.*

LVIII. *Iulius Pflugius Episcopus Naumburgensis designatus, renitente Electore Sax. Io. Friderico, & in eius locum Nic. Amsdorffium substituente: qui postea tamen iterum decedere iussus fuit, surrogato Pflugio. Consilia moderata præstant violentis.*

LIX. *Hermanni, Comitis de Wida, Archiepiscopi & Electoris Colonienſis, studium & cupido reformationis ecclesiasticæ. Philippi Melanchthonis ad ipsum profectio.*

LX. *Mors Ludouici Electoris Palatini. Hier. Baumgartneri a latronibus capti calamitas, & liberatio.*

LXI. *Georgii Sabini demigratio in Borussiam*

siam cum coniuge Anna, parenti Philippo Melanchthoni perquam ingrata. Sabini erga coniugem & socerum animus alienior. Mors coniugis in Borussia.

LXII. *Lutheri animus erga Philippum Melanchthonem concitatus, ob nimiam huius moderationem & lenitatem. Valerii Cordi & Corn. Sittardi mors.*

LXIII. *Atrocia de Euangelicis in Gallia supplicia sumta. Conuentus Wormatiensis & Ratisbonensis. Mors Georgii Helti & Hieronymi Camerarii. De vtroque horum lectu non indigna.*

LXIV. *Episcopatus Mersburgensis administratio Augusto Duci Sax. commissa, adiutore dato Georgio Principe Anhaltino. Michael Heldingus, dictus Episcopus Sidonius, suffraganeus Moguntinensis, suffectus & ad Episcopatum gerendum postulatus. Testimonium ordinationis Principis Georgii, a Philippo Melanchthone nomine omnium in vicinis Ecclesiis præsidentium scriptum.*

LXV. *Philippi Melanchthonis iter Ratisbonense intermissum, missis eo aliis. De Synodo Tridenti congreganda rumores. Reginaldi Poli de cogenda ea consilium. Friderici Electoris Palatini de vera religione constituenda solicitudo.*

LXVI.

LXVI. *Transitio ad ea enarranda, quæ post Lutheri obitum contigerunt, enatis difficilibus controuersiis & afflictis temporibus.*

LXVII. *Martini Lutheri beata mors. Eius autoritas quousque trahenda.*

LXVIII. *Conuentus Ratisbonensis dissolutus, indignante Imperatore. Huius de bello Germaniæ inferendo consilia. Philippi Melanchthonis super perturbato rerum statu dolor. Io. Diazii nefanda cædes, ab Alphonso fratre patrata. Hermanni Archiepiscopi & Electoris Colonienſis excommunicatio. Ducum Saxonicorum concordia minus firma.*

LXIX. *Philippi Melanchthonis de Ecclesiæ autoritate liber, varia iudicia expertus. Autoris in Narratione hac de vita Philippi Melanchthonis, publici iuris facienda, ambiguitas.*

LXX. *Michaelis Comitis Wertheimensis, & Christophori Baronis a Limperg bona indoles, aduentus & studia in Lipsiensi academia. Iohannes Crato eiusque studia.*

LXXI. *Bellum Germanicum editis libellis, quibus suam qualibet pars causſam defendebat, magis excitatum. Philippi Melanchthonis consilia de modis, quibus istud posset restingui.*

LXXII. *Lipsia oppugnata a copiis Electoris Sax. Iohannis Friderici. Is ad Mulbergam captus in Cæsaris potestatem peruenit, exercitu eius*

eius profligato. Prodigia tum visa. Dan. Stibari cum Philippo Melanchthone amicitia.

LXXIII. *Philippus Hassiæ Landgrafius Hatensi carceri a Carolo V includitur. Philippus Melanchthon Seruestæ commoratur, & in his turbis, tanquam nauis procellis ventorum & fluctibus maris, iactatur.*

LXXIV. *Imperator Norimbergam petit, erga omnes clemens & æquus. Vitus Theodoricus arthriticis doloribus fractus moritur.*

LXXV. *In Ienensem academiam multi confluunt Wittenberga probi & mali. Io. Stigelii obitus. Philippus Norimberga ad suos Wittenbergam redit. Hermannus Archiepiscopus & Elector Colonienſis ditionibus suis exuitur. Plures veram doctrinam profitentes patria pulsi.*

LXXVI. *Mauritius Dux Sax. Electoratum adeptus conuentum Ordinum prouincialium Lipsiæ agit. Philippus Melanchthon se Wittenberga non patitur abstrahi. Augustæ Vindelicorum Imperatori Carolo V nonnulla a Mauritio Electore in priuatis colloquiis promissa fuisse, religioni veriori quæ aduersantur, falso curiosiores distulerunt. Tridentina Synodus Bononiam translata, indignante Cæsare.*

LXXVII. *Casparis Borneri mors, Philippo Melanchthoui luctuosa.*

LXXVIII. *Liber* Interim *euulgatus. Hunc*

quod

quod cum aliis nollet recipere & probare Philippus Melanchthon, in odium Cæsaris & vitæ discrimen incurrit.

LXXIX. *Annæ, Sabini coniugis, Melanchthonis filiæ, obitus, quem fortiter fert parens. Imperatoris Caroli V animi obstinatio in caussa religionis. Inde Philippo Melanchthoni periculum & anxietas animi. Eum Mauritius Elector Sax. tuetur. Franc. Spiera desperans.*

LXXX. *Constantiæ vrbis ab inuasione Hispanica periculum. Thomæ Blareri abstinentia a publica.*

LXXXI. *Philippus a patre Carolo V traditas Belgii prouincias accipit. Sæuitia erga Lutheranos in Gallia & Belgio. Magdeburgum in summo discrimine constituta. Camerarii prudens in religionis dissidiis moderatio.*

LXXXII. *Matthiæ Garbitii laus ab humanitate & beneficentia. Matthiæ Flacii Illyrici turbulentum ingenium: primum Tubingæ, dein Wittenbergæ, tandem Magdeburgi agit, socium nactus Nic. Gallum.*

LXXXIII. *Philippi Melanchthonis in calamitatibus publicis constantia, & aduersus calumnias & maledicta vesana Flacianorum obfirmatio. Horum erga Misnicos Theologos odium & contumeliæ, fictaque* Interimistarum & Adiaphoristarum *nomina. Pernicioſæ*

cioſæ eorum in Eccleſia turbæ, nihil boni aut ſalutaris in doctrina afferentium.

LXXXIV. *Mauritii Electoris Sax. ſolicitudo circa librum Auguſtanum vel recipiendum vel repudiandum.*

LXXXV. *Philippi Melanchthonis nomen, doctrina & exiſtimatio multorum obtrectationibus petita.*

LXXXVI. *Andreas Oſiander, Norimbergenſis prius concionator, poſtea in Borusſiam delatus, concitat turbas, & Philippum Melanchthonem contumeliis appetit. De factis, non de conſiliis, narrationes contexendæ: quum hæc incerta ſint, neque ſuſpicionibus iudicandum de aliis.*

LXXXVII. *Caſparis Crucigeri mors: eius laus.*

LXXXVIII. *Synodus oecumenica iterum Tridenti indicta. Martini Buceri mors.*

LXXXIX. *Martini Buceri patria, doctrina, functiones, ingenium moderatum, & in Angliam profectio.*

XC. *Philippi Melanchthonis Repetitio Auguſtanæ Confeſſionis, in Synodo Tridentina exhibenda, iuſſu Mauritii Electoris Sax. ſcripta: cui ſimilem librum conſcripſerat Io. Brentius, Duci Wurtenbergenſi Chriſtophoro perquam carus.*

XCI. *Augustanæ Ecclesiæ & Scholæ doctores quidam iussu Antonii Perenotti Granuellani vrbe eiecti. Decreti Cæsariani violentia, cognitionem de controuersiis ecclesiasticis interturbans, improbatur, & de pertinacia religionem violenter obtrudendi disseritur.*

XCII. *Philippus Melanchthon a Mauritio Electore Saxoniæ, literis datis, ad Tridentinam Synodum mittitur: sed ad arma traductis negotiis, Norimbergam modo peruenit, indeque reuertitur.*

XCIII. *Pax inter Carolum V Imp. & Mauritium Electorem Sax. sancita. Huius copiæ in Pannoniam aduersus Turcas ductæ. Christophori Carolouicii laus. Alberti Marchionis Brandenburgensis ad Gallicas partes a Cæsarianis defectio.*

XCIV. *Bern. Ziegleri mors, eiusque character ingenii & morum.*

XCV. *Pestis in Saxonia & Misnia. Bellum Francouicum ab Alberto Marchione Brandenburgensi concitatum.*

XCVI. *Mauritii Electoris Saxoniæ mors: eiusdem intrepidus & imperterritus animus. Aegranus conuentus.*

XCVII. *Erasmi Reinholdi, Eduardi VI Angliæ Regis, Georgii Principis Anhaltini, & Iacobi Sturmii mors. Georgii Anhaltini elogium.*

Ma-

Mariæ Angliæ Reginæ, fratri Eduardo succedens, ad Pontificias partes regnum perducit.

XCVIII. *In Borussia perturbatus rei ecclesiasticæ status. Georgii Sabini inde migratio. Conuentus Principum Naumburgensis, de pace stabilienda, & dirimendis litibus ecclesiasticis. Prodigia.*

XCIX. *Philippi Melanchthonis cultæ cum Iaxitio, Sig. Geloo, Lælio Socino, Franc. Dryandro, inprimis autem Huberto Languetο, amicitia: ac huius postremi laus.*

C. *Mors Electoris Iohannis Friderici. Eius laus vera, nec supra humanam tamen sortem euecta.*

CI. *Ad conuentum Augustanum Philippi Melanchthonis iter, quod parare iussus fuerat, omissum. Io. Moroni Card. laus: eius patris Hieronymi captiuitas. Danielis Stibari obitus.*

CII. *In Anglia & Gallia aduersus professos sinceram religionem atrociter sæuitum. Hugonis Latimeri & Thomæ Crammeri in Anglia martyrium.*

CIII. *Philippi Melanchthonis iter Norimbergense, ad diiudicandas ab Andr. Osiandro motas controuersias.*

CIV. *Flacianorum improbitas, & quidiuis confingendi ac quosuis probris insectandi proteruia.*

CV.

CV. *Bonorum super istis turbis & dissensionibus dolor. E Bohemia multi ob professionem sincerae doctrinae exules. Iusti Ionae mors.*

CVI. *Colloquium Wormatiense, in quo Philippus Melanchthon postremo cum Pontificiis est congressus. Eius progressionem Flaciani turbant, & magno cum Pontificiorum gaudio omnia miscent. De Mich. Sidonio Episcopo Mersburgense & Frid. Staphylo, ad Pontificias partes regresso, nonnullae.*

CVII. *Philippi Melanchthonis iter ad Othonem Henricum Electorem Palatinum. Iac. Micylli mors. Philippi Melanchthonis coniugis Catharinae, dum ipse domo abest, obitus.*

CVIII. *Colloquii Wormatiensis exitus. Philippus Melanchthon respondet criminationibus Staphyli & Auii.*

CIX. *Iusti Menii & Io. Bugenhagii mors.*

CX. *Flacianorum iterata turba. Caroli V Imp. obitus.*

CXI. *Cappadocis cuiusdam Caesariensis & Demetrii, Diaconi Constantinopolitani, ad Philippum Melanchthonem aduentus.*

CXII. *Nic Gerbelii mors: eius fama ab auctore Rhetorici libelli vehementer laesa.*

CXIII. *Philippi Melanchthonis beata & placida mors, exequiae, monumentum, morbus.*

CXIV. *Post mortem Philippi Melanchthonis controuersiae ecclesiasticae atrocius excitatae & agitatae; ea cumprimis de sacra Cœna. Philippi Melanchthonis de hoc argumento liber, ab aliis post mortem ipsius, non ab ipso, editus.*

CXV. *Aduersariorum Philippi Melanchthonis impudens peruersitas.*

CXVI. *Eorundem aperta improbitas, ipsum* veteratorem *appellantium.*

CXVII. *Eorundem malitiosa temeritas, ab aliis edita sub ipsius nomine scripta probris insectantium.*

CXVIII. *Eorundem inepta & praua reprehensio, si quae emendauit, correxit, aut explicauit in scriptis suis Philippus Melanchthon, criminantium.*

CXIX. *Eorundem impudens vanitas, fortuito dicta ab eo carpentium, & quae excusare debebant, quaque antea laudabant, & quibus assentiebant, reprehendentium & cauillantium.*

CXX. *Dehortatio a studio, famam nominis Melanchthoniani conuitiis in calumniatores reiectis tuendi, aut scurrilia aduersariorum scripta refellendi. Vnica ratio compescendi immanem istam scriptorum ferociam, prohibere ne liceat cuiuis suo arbitrio libellos disseminare.*

nare. Philippi Melanchthonis innocentia tuta aduersus quosuis maleuolentium impetus.

CXXI. *Philippi Melanchthonis laus & praclare gestorum summa, breuiter exposita.*

CXXII. *Obtrectatores ipsius, & doctrinæ eius cauillatores coercendi.*

CXXIII. *Narrationis huius conclusio, qua istius quam tenuerit rationem explicat.*



VITA PHILIPPI MELANCHTHONIS.

I.

PHILIPPVS MELANCHTHON natus est in oppido nomine Bretta, qua parte territorium Palatinatus Rheni attingit fines agri Wirtenbergensis, solem orientem versus, fitque illac iter a proficiscentibus ex Italia Galliaque in loca Germaniæ, quæ quoniam ad oceanum sita sunt quasi decliuia, appellari solent inferiora. Non est oppidum illud vel ambitu amplum vel extructionibus magnificum, vel exquisitis operibus munitum, sed situ peramœnum, & pro captu Germanorum satis bene atque splendide ædificatum, & tam firmum, vt bello Bauarico grauem Ducis Wirtenbergensis oppugnationem sustinuerit, & virtute præsidii defensum sit, neque in potestatem hostium venerit.

Quinetiam eo tumultu quo plebs ruſtica atque vrbana aduerſus dominos ſuos arma cepit, quum ſeditioſi ſcirent, vndique multa in oppidum illud deportata conuectaque eſſe, potiendi ipſo cupiditate nihil non conati aggreſſique ſunt. Sed etiam tunc, tametſi ingens multitudo oppugnantium neque propinqua auxilii ſpes vlla eſſet, cum ſumma incolarum laude & oppidum Principi & bona dominis fuere conſeruata. Ciuium opes ſunt mediocres, & quæ parantur quum agricultura tum rebus negotiisque inter ſe aut cum vicinis contrahendis, non commerciis externis & ingentibus lucris quæſtibusque ſingularibus faciendis. Incolæ incredibili humanitate præditi, & moribus ingeniisque ſunt politis ac bonis. Migrauerat eo pater Philippi Georgius, ducta vxore, laudati & honorati illic viri Iohannis Reuteri, qui & præfecturæ oppidi munere aliquot annis functus eſt, filia Barbara. Fuit autem Georgii pater Nicolaus, qui Eytelbergæ ſub arce domicilium habuit, & cuius ad vicinum ſacellum ibidem monumentum ſepulcri nunc etiam viſitur. Ipſe Georgius & probitate, integritate, taciturnitateque & fide, etiam prudentia atque ſolertia, & quod admirabili artificio opera armorum elaborare ſciret, quibus & defenderentur contra vim aduerſariorum in

in conflictu, & inſtruerentur ad hos percellendum ſternendumque qui manum ſiue in acie cum hoſtibus, ſeu in ludis equeſtribus cum ſuis (quæ exercitationes tum in aulis Principum ſtudioſiſſime frequentabantur) conſerere vellent: harum igitur artium ille peritus, & iis virtutibus quas commemorauimus ornatus, in notitiam peruenit maximorum & potentiſſimorum Principum, iisque carus fuit; in quibus nominaſſe ſatis ſit & Regem optimum & bellatorem inuictiſſimum Diuum Maximilianum Imperatoris Friderici filium. Quem Georgius aliquando cum glorioſo prouocatore Italo, cui nomen Claudio Bataro, certamine ſingulari congreſſurum ita inſtruxit, & ſic arma ipſius machinando parauit, vt fortiſſimo viro Maximiliano victoria certa facile etiam & celeriter contingeret. Claudius enim non diu repugnans, quum, quanto omnibus rebus eſſet inferior ſentiens, ad pedes Maximiliani ſe abieciſſet, ita in poteſtatem eius ſe tradidit. Sed paullo poſt orto pernicioſo bello inter Palatinos & Bauaros cognatos Principes, quum Georgius patriæ ſuæ Principi Philippo operam officiumque quod debebat fideliter præſtaret, inprimis machinarum tormentorumque ratione adminiſtranda, miſſus cum quibusdam Monhemium, in morbum incidit inſanabi-

lem; etsi Princeps in curando eo summum studium diligentiamque adhibuit; credebaturque puteo, vnde aqua ad quotidianos vsus haurienda fuerat, veneno infecto, malum hoc illis accidisse. Sane qui cum eo aduenerant intra vertentem annum omnes mortui fuere, Georgii vita remediis & exquisita curatione ad annum quartum producta. Decessitque tandem & ille, quum ante dies vndecim socerum amisisset, & ipse totum quadriennium vixisset perimbecillis. Cæteram autem vitam sine querela omnium, & cum laude plurimorum, inprimis religionis amans, & profana omnia dicta ac facta fugiens, & neque serio neque ioco verbis rebusque designans quicquam, quod vel minimam impietatis speciem haberet, aut propter leuitatem esset vituperandum, vel etiam a grauitate veritateque recederet. Ante omnia falsitatem mendaciaque & fraudes auersatus fuit, multa etiam pietatis studio & amore obseruans, quæ indicanda non putauimus, quod aliquorum opinione superstitiosa videri possent. Tunc Philippus habuit annos vndecim, quem susceptum ex filia, cum fratre vno Georgio minore annis non prorsus quatuor, & sororibus tribus, auus voluerat tam ipsum quam fratrem apud se educari. Mater vidua mansit annis totis duodecim, postea quum Philippum

pum duxisse vxorem audiisset, non sine quadam offensiuncula nupsit iterum, viro honestissimo ciui Brettano. Fœmina fuit illa valde prudens atque pia, quam & nos vidimus in patriam proficiscentis Philippi comites an. Christi M.D.XXIV. & eam, quam diximus, esse perspeximus.

II. Quum in ludum publicum mitterentur pueri illi fratres vna cum auunculo & ipso puero, cœpit tum lues fœda passim homines in Germania primum inuadere, & miserum in modum non solum excruciando sed mutilando & membra depascendo affligere, quam Hispanicam nonnulli, plerique Gallicam nominabant. Quo malo quum Magistrum ludi auus puerorum laborare resciuisset, contagionem metuens, nepotes cum filio domi apud se retinendos duxit, vbi matura ætate iuuenis opera primis literarum elementis curauit erudiendos. Nomen illius fuit Iohannes Hungarus, quem grauem annis vidimus Phorcæ, & audiuimus præclare concionantem de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & puram Euangelii doctrinam explicantem Principibus & populo frequenti, virum optimum atque integerrimum. Eminuit autem statim in Philippo præstantia ingenii, quod & celeriter percipere atque comprehenderet quæ tradebantur, & fideliter meminisset, & liquido exponere

illa sciret. Vtque fit in generosis animis, in puerili tum etiam ætate admodum quiescere non poterat, sed quærebat vbique aliquem cum quo de auditis disputaret. Ea erant nimirum præcepta artis Grammaticæ & initia sermonis Latini. Itaque & circuire & vestigare aduenas scholasticos, qui tum peregrinari consueuerant, & maxime gaudere si qui adultiores offerrentur, quos sæpe animaduersum fuit cum multorum admiratione & pudore eorum a puero Philippo mirifice exagitari. Itaque omnes de indole tali bonam spem conceperunt, & paullo post mortuo tam auo quam patre, paucorum vt diximus dierum interuallo, matris propinquorumque consilium ac voluntas in studiis piis & honestis educandi filium institutum aui persecuta est. Quanquam autem docilitas in Philippo tanta, quanta in nullo altero ostenderetur, & simul acris animi & mentis sagacis præclarissima signa perspicue cernerentur, & vis ingenii ingens tunc adeo appareret, nihilo tamen minus summa elucere suauitas, qua omnium facile fauorem sibi ille conciliabat, & declarabatur futurum, vt vehementior natura ipsius non ad austeram neque tristem seueritatem deferretur, sed ad grauitatem lenitate comitateque conditam euaderet: id quod euentus comprobauit. Nam feruen-

feruentior incitatiorque in eo animus immitis aut sæuus non fuit, quumque esset ad iracundiam pronior, nihil tamen fecit vnquam commotus quod insignem haberet deformitatem, aut omnino magnopere culpandum esset. Pronunciatio nonnihil balbutiens non modo tanquam praua colloquentibus molesta & iniucunda non fuit, sed puerilem loquacitatem visa etiam est decere. Quod vitium tamen procedente ætate attentione & cura sic emendauit, vt vix tenuissima illius vestigia, verba præsertim eo accurate faciente, apparerent atque deprehenderentur. Illis temporibus literarum ludus Phorcensis celebrari præ cæteris, cuius Magister esset Georgius Similerus patria Bimpinensis, qui habebatur & erat, pro illius ætatis captu, doctus & eruditus inprimis. Iam enim plurimis in locis melius quam dudum pueritia institui, & doctrina in scholis vsurpari politior, quod & bonorum autorum scripta in manus sumerentur, & elementa quoque linguæ Græcæ alicubi proponerentur ad discendum, cum seniorum admiratione maxima & ardentissima cupiditate iuniorum, cuius vtriusque tum non tam iudicium quam nouitas causa fuit. Similerus, qui postea ex primario Grammatico eximius Iurisconsultus factus est, initio hanc doctrinam non vulgandam aliquanti-

ſper arbitrabatur. Itaque Græcarum literarum ſcholam explicabat aliquot diſcipulis ſuis priuatim, quibus dabat hanc operam peculiarem, vt quos ſummopere diligeret. In omnibus autem Philippus Melanchthon ita proficere & eas facere progreſſiones, & ita ſe erga omnes communicatione eorum, quæ ipſe percepiſſet & teneret, gerere, vt nemo non eum & laudaret & amaret. Habebat ſocios ſtudii fratrem Georgium & Iohannem auunculum, quorum Georgius in hoc curſu non permanſit, & in patria præcipuos honores ciuitatis ſuæ conſecutus eſt & geſſit. Quæ, quum hæc ſcribere inſtituiſſemus, ipſius maxime conſilio opeque nitebatur, fungentis annis multis præfecturæ munere: Iohannes Spirenſi collegio ad S. Crucem præfuit, quem ibi & nos aliquando vidimus, virum dignitate & humanitate excellentem. Viuebant hi apud ſororem Iohannis Reuchlini, quod quadam cognationis neceſſitudine familiæ illæ coniungerentur. Eueniebatque ſæpe vt Reuchlinus patriam & ſuos viſeret, qui in gubernatione terræ Wirtenbergenſis tum vna cum aliis paucis autoritatem ſummam atque grauiſſimam obtinebat. Solebat igitur in puerorum ſtudia ille inquirere, & de iis, quæ ſciret tradi eis in ludo, percontari. Longe autem Philippo omnibus reſponſionibus

nibus præcellente, Reuchlinus indolem pueri exoſculatus, & ſpe ſingulari de illo concepta, libellos quosdam ei donauit; inter quos plenior præceptorum Grammaticæ Græcæ tractatus & liber fuit, comprehendens interpretationem Latinam præcipuorum Græcorum vocabulorum, quæ opera Lexica vocantur. Hac copia inſtrumenti auctus Philippus, ipſe ſeſe indies magis magisque incitare, & vtriusque ſermonis Græci Latinique vberiorem comparare facultatem: neque ſcribere tantum aliquid ſoluta oratione, ſed tentare etiam verſuum compoſitionem. Et oblatis aliquando factis a ſe quibusdam Reuchlino, per iocum donatus ab hoc fuit pileolo puniceo, quo inſigni, vt fert conſuetudo, Reuchlinus fuerat decoratus, quum titulus ei Doctoris decerneretur. Philippus vero lætus dono, & veluti generoſus equus ornatu gaudens, prioribus ſemper aliquid adjicere, & cognitionem partam cumulare. Tunc & æqualibus ſuis ſcriptum quoddam ludicrum Reuchlini, inſtar Comœdiæ illis diebus editum, ediſcendum diſtribuit, & ſuas cuique partes aſſignauit, vt coram Reuchlino ad ſe reuerſo fabula ea ageretur. Quod etiam factum eſt cum ſumma ipſius voluptate atque lætitia. Quando & Philippi nomen, quod haberet ille familiæ, ſignificans ſolum nigrum

Germanico ſono, in Græcum *Melanchthonis* mutauit; ſicut ipſe a fumo deminutum ſuum, ita ab Hermolao Barbaro aliquando in Italia conuerſum, *Capnionis* eſſe voluerat. Hunc conatum mutandi nomina familiarum, memini audire doctos & præſtantes dignitate viros, qui reprehenderent, quod iſto pacto familiarum notitia quaſi obteri videretur. Sed ſunt omnino quædam ita aſpera & veluti horrida, vt lingua Græca Latinaue exprimi neque poſſint neque debeant, quæ ſi literis quibusdam vel adiectis vel detractis quaſi dolare, vt læuiora fiant, aliquis velit, quemadmodum de barbaris omnibus fere fecerunt veteres, nihilo ille minus appellationem obſcuram & ſuis ignotam hoc modo redditurus ſit, quod a mutatione illa interpretationis nihil iam differet. Sed de his nunc diſputare alienum fuerit.

III. Phorcæ (quam Latinis verbis contractis Portam Herciniæ eſſe eruditi volunt) Philippus pene annis duobus manſit. Et inde ad pleniorem ingenii cultum & quaſi mercatum doctrinæ vberiorem cura matris ac propinquorum miſſus eſt Eytelbergam in patriam auitam, vbi & ſedes Principum & celebris Academia eſſet. In qua doctiſſimorum virorum in omni genere diſciplinarum copia florente, Philippus iam ætate ephebus ſtatim eam de ſe opinionem com-

commouit, vt aliis quoque docendis idoneus haberetur. Ibique tum ille & exercendi ſtilum ſcribendique rationem ſuo exemplo ſuſcitare, & ſtudio induſtriaque admirabili quum ſibi fauorem caritatemque omnium ordinum atque hominum conciliare, tum animos æqualium ad bonas literas artesque maiore aſſiduitate & diligentia colendas impellere. Vixit Philippus Eytelbergæ apud clariſſimum illo loco & tempore virum D. Pallantem, cuius ſapientiam virtutemque & excellentem humanitatem atque beneficentiam, cum perquam honorifica mentione eius, quotiescunque hæc incidiſſet, verboſe ſolebat prædicare, & ita vt facile appareret, memoria ipſum conſuetudinis iſtius admodum delectari. Huius viri prudentiſſimi conſiliis aula multis annis feliciter vſa, & ope Academia ſuſtentata, ornata, aucta eſt. Qui obiit mortem anno Chriſti M. D. XII. XVI. Calend. Sextil. ſepultus Eytelbergæ in vrbis primario templo, cum elogiis epitaphiorum vtriusque linguæ verſibus perſcriptorum, ex quibus Latinum diſtichum hoc inſerendum putauimus:

Conſilio pollens, largus rerum, ore diſerto
Doctor erat Pallas, hac tumulatus humo.

Dedit Philippus Melanchthon ibidem illis temporibus operam inſtituendis duobus fi-

liis

Iiis Comitis Ludouici Leoniſtenii generoſæ proſapiæ & indolis pueris, & familiariter vſus eſt Petro Sturmio Argentoratenſi, Iacobi fratre, nobilitate generis, virtute & ſapientia clari, religioſæque pietatis amantiſſimi, Bimphelingi, quemadmodum accepimus, diſcipulo. Eytelbergæ etiam Philippus quaſi tirocinium quoddam depoſuit ſcholaſticum & Bacularius eſt factus, quo nomine honorum in Academiis initia appellantur, natus annos ferme quatuordecim. Quum autem animi in diſcendo impetus & honeſta ambitio inſtigaret eum, qui modo exceſſiſſet ex ephebis, vt altius honoribus ſcholaſticis aſcendendum putaret, & ad maiorem dignitatis gradum contendendum, petendumque Magiſtri titulum, aduerſata tum voluntati ipſius ſententia fuit præcipuorum quorundam, quod ætati iſti tribuendum tantum eſſe negarent. Quo impedimento curſui cogitato moraque illata offenſus, & quod tentationes febriles crebro ſentiret, locum & propoſito ſuo & valetudini aduerſum relinquere ſtatuit. Ea tempeſtate Tubingenſis Academiæ in Wirtenbergenſi regione (quam Charitinorum vetere nomine fuiſſe coniectura eſt) fama fieri indies maior atque melior. Quæ optimi & illuſtriſſimi Principis Eberhardi, cognomento Probi & Barbati, paterna cura præclariſſime

me fundata &, collectis viris doctrina varia præſtantiſſimis, condita fuerat ante annos triginta ſex. De hoc Principe, quum eam rem ageret & Academiam Tubingæ collocare vellet, accepimus id quod & memorabile & non abhorrens ab hac narratione duximus referendum. Eſt ſane Academiæ inſtitutio res magna & magnifacienda, ſed ſuperiorum tamen temporum de his exiſtimatio multo optima & præclariſſima fuit. Interrogatus igitur tum a quodam externo Princeps Eberhardus, cuius opera in eo quod perfici volebat vti cogeretur: Quidnam regionis & terræ haberet, quod tanto ornamento dignum eſſe iudicaret? reſpondiſſe fertur: Cætera omnia eſſe mediocria, vel etiam infra mediocritatem, vno autem commodo atque fructu ſuæ regionis ſe merito gloriari; quod, in quamcunque partem illius ſolus forte ipſe delatus, ſi acquieſcere liberet, tuto & cum omni ſecuritate in cuiuſuis ex ſuis, qui obviam factus eſſet, ſinum deponere caput & ſomnum capere poſſet. Idem audiui aliquando eundem dixiſſe in Principum quodam conſeſſu, quum alius alia ſuæ terræ bona extolleret narrando. Erant Tubingæ tunc Theologi, vt illis temporibus, eximii. Erant Iuriſconſulti, quorum nunc etiam nomina illuſtria & opera laudabilia in ore & manibus

bus sunt eorum, qui hæc studia tractant. Humaniorum autem studiorum & Philosophiæ professores eos semper habuisse Tubingam constat, quorum eruditionem & scientiam totam Germaniam excoluisse scimus. Ex quibus tunc, quum eo Philippus venit, viuentes & operam nauantes docendo, Iohannem Stofelerum & Franciscum Stadianum, quem & coluit & dilexit Philippus inprimis, & Henricum Bebelium, quem mortuum versibus epitaphiis Græcis Philippus ornauit, & Iohannem Brassicanum nominasse in præsentia satis habuimus. Quum autem natura atque voluntas Philippum ad commercium cum Musis, id est, bonis literis & erudita doctrina, incitaret, tanta tamen fuit in eo vis ingenii & ardor discendi, vt nullarum rerum cognitionem non attingendam atque comprehendendam putaret. Itaque & Theologos & Iurisconsultos & Medicos audire, & libros omnium professionum illarum inspicere, & vndique quandam scientiæ quasi possessionem occupare, & non tam laudem venari, quam vsum sibi fructumque cognitionis acquirere. Ad Theologiæ tamen studium maxime propensa esse cupiditas illius, quod religiosæ pietatis amore flagraret, sententia hac confirmata in puero paterna maternaque educatione atque disciplina. Theologiæ tum mate-

materia non sacræ literæ & scripturæ diuinæ erant, sed quædam obscuræ & spinosæ intricatæque quæstiones. Quarum nugatoria subtilitate exercebantur & defatigabantur ingenia. Philippus autem Melanchthon factus bonarum artium Magister, & primus, declaratis tum simul vndecim, renunciatus, quum illo etiam in genere tenui & aspero nulli non modo qui pari ætate esset, sed ex prouectioribus quoque atque adeo senescentibus, cederet, veritatem tamen quærere & amplecti inprimis, & politiori doctrinæ operam dare. Animaduertebatur librum habere in manibus, in templo & inter operationem sacrorum. Quum grandior quibusdam ille videretur iis, quibus preces descriptæ continentur, quique more in templis vsurpantur, maleuoli quidam rumusculos sparserunt, legere Philippum nescio quæ scripta tempori & loco illi non conuenientia. At ipse nactus fuerat sacrorum Bibliorum codicem, tractabili forma chartis minutioribus paullo ante primum a Iohanne Frobenio Basileæ impressum; quibus legendis quam tunc adeo cœpit, eam constantissime dare operam in tota sua vita perseuerauit, & talem librum ad omnes conventus publicos postea detulit, secumque semper habuit. Quumque adscriberentur ab eo in chartis passim vtiles & præclaræ sententiæ veterum

terum, quæ ei illorum scripta legenti potissimum arrisissent, & nonnullis in locis explicationes quædam; quibus contigerat libros istos videre, ab his copia ipsorum maxima cupiditate expetebatur. Itaque quum esset Philippus natura liberalissimus & ad gratificandum cunctis quibus posset rebus procliuis, sæpe ablatos istos suos & donatos aliquibus libros comparatis aliis mutauit. Sed hæc postea acciderunt.

IV. Illis temporibus vir prudentia & Iuris publici scientia celebris colligere cœperat historias, & exponere tempora rerum memorabilium gestarum ab origine prima mundi: ei nomen fecerant *Naucleri*, quod in familiæ nomine Germanici nautæ significatio esset, qui sunt vergæ. Librum autem hunc exprimendum susceperat Thomas Anshelmus, qui Typographicam officinam habebat Tubingæ. A quo perfectum fuit, vt & illius scripti, & aliorum quæ a se ederentur, curam respectumque Philippus susciperet, quo prodirent correctiora. Is tunc & in hoc opere Naucleri partim disponendo, partim augendo, partim etiam retexendo, id præstitit, vt lectio libri istius a plurimis expeteretur & fructu voluptateque non careret. Iisdem ferme annis, quibus Philippus Melanchthon Tubingæ mansit, numero sex, luctatus est Iohannes Capnio cum monachis, a quibus

bus propter sententiam dictam de libris Hebraicis grauissime vexabatur. Ea erat familia Dominici, & Colonienses quidam Theologorum titulo superbientes, qui in Capnionem se plane hostiliter inferebant. Iudicium fiebat Romæ, & Capnio quum causam facile defenderet, aduersariorum tamen opibus & potentia admodum premebatur: tametsi illi neque patroni viri summi deessent, & studia omnium, qui amabant aut saltem videri volebant amare eruditam doctrinam, præstarentur tam prolixe vel effuse etiam, vt alacritate eum ista offensum fuisse constet. Qui ipse vir optimus, quamuis cuperet innocentiam suam tutam esse, & intelligi quam atrox sibi fieret iniuria, sic tamen optabat vim a se depelli, ne læderentur vlli, vtque inimici non vel maxime meritis conuiciis sed veritatis simplice oratione refutarentur. Ingrata etiam erat prudentiæ & grauitati illius senescentis, iuuenilis leuitatis exultatio, & hanc non tam facto quam exemplo nocere posse perspiciebat. Sed nihilominus, qui quum maxime fauerent & quam optime cuperent Capnioni, multo peius oderant importunitatem eorum, quos Capnionis euersionem prætendere animaduerteretur, oppressioni nascentis doctrinæ eruditæ vniuersæ: hanc enim quod ipsi penitus ignorarent,

metuentes existimationi suæ, exoriri & convalescere iniquissimis animis patiebantur & ægerrime ferebant. His igitur infesti illi studiosi politioris doctrinæ causſam Capnionis suam ducere, & illius aduersarios omni genere scriptorum infamare, tam deridentes & eludentes futilitatem quam insectantes & increpantes improbitatem. Inter quos princeps, Vlricus gente Huttenus, patria Francus, ordine eques, ingenio acerrimo & animo confidentissimo, literis perquam eruditus, & litigantes monachos cum Capnione varie exagitauit, & illam factionem tum quidem vehementissimis scriptis, sed aliquanto post armis quoque expeditis, adortus est. Huius est carmen triumphale victoriæ Reuchlini, cum pictura etiam in illius conspirationis gregem contumeliosa, vbi vnco trahitur quidam, qui quum Iudæus aliquando fuisset, suam operam in Capnione lædendo atque euertendo, conductam illam quidem magna, vt credebatur, pecunia, dedisset. Sed de Capnione extat narratio Philippi Melanchthonis, quam curauit quodam in conuentu scholastico Wittenbergæ, vt solebat, recitandam. Vnde si quis de Capnione plura cognoscere cupit, petere ea poterit. Nam mihi hoc scriptum etsi non alienis, verbosis tamen & longis huiusmodi expositionibus com-

complere non libuit. Capnioni igitur, tum rebus & dubiis & valde difficilibus ac molestis, assidue & fideliter præsto fuit Philippus Melanchthon, describendo potissimum ea, quibus defensio causſæ continebatur, & quæ ad iudicium mittenda erant, & quicquid omnino ad Capnionis innocentiam declarandam & conseruandam salutem dignitatemque (quæ petebatur vtraque) pertineret, omnibus modis adiuuando. Neque Philippus ad Capnionem modo Stutgardiam, vbi hic habitabat, crebro accedere, sed Capnio quoque ipse sæpe venire Tubingam ad Philippum, & cum eo in scholastico contubernio versari atque pasci, & iucundissime post alios necessarios & ad se pertinentes sermones, de communibus studiis & liberali institutione confabulari. Etsi enim Capnio non fuit literis elegantioribus penitus excultus, & doctissimum tamen virum & liberalium disciplinarum cupidissimum fuisse eum constat, Hebraicæ autem linguæ peritissimum. Cuius prorsus senem doctrinam ipsum profiteri neque puduit neque piguit.

V. Hæc tempora intuenti & negotia consideranti, vis mihi quædam inuicta fatorum ob oculos versata est, id est, Quid eueniat, diuini iudicii sententia iam lata, de rebus hominibusque in hac vita. Tunc e-

nim & illas præcipites ferri, & horum omnes rationes cunctaque consilia conturbari, & conuertere in contrarium, licet videre. Quo autem progressa fuerit quorundam insolentia atque importunitas, prætendentium sanctitatem atque obseruationem religionis, neminem fugit; quum tamen re iampridem penitus amissa, species quoque euanescceret, vel etiam mutata ab illa grauitate & seueritate cum maiore indies deformitate & contaminatior appareret. Quum autem deberent ii, quorum tunc res agebatur maxime, & pericula impendentia prouidendo cauere, & causas illorum attendendo auertere; tanta fuit cæcitas, vt & has ruendo impellerent, & illa vltro commouerent atque accerserent. Non enim ipsi vitia sua, quæ neque occulta amplius essent neque omnino tegi possent, corrigere conati, sed de his dimicare etiam, & prauitatem turpitudine cumulare non sunt veriti. Habebant autem persuasum, tantas esse vires eamque potentiam suam, vt euerti aut percelli labefactarique nulla impressione nulloque impetu possent. In quo opinio eos sua adeo est frustrata, vt leuissima aggressione illa tanta moles statim sic concussa sit, vt postea non magnopere aliis machinis ad conuellendum opus esset, sed ipsa, quum semel ruere cœpisset, per se prolaberetur atque

que concideret. Quid enim magis contemtum & nihili haberi, exoriente bonarum literarum & artium studio, & liberalium ingeniorum facultate? Quam parum in istis momenti & ponderis plerisque visum? Nedum metuerent aliqui ab his detrimentum aut damnum confirmatæ barbariæ. Neglecta igitur vel potius despecta parua & puerilia hæc, in elatione animorum & superbia immensa, ruinis, quæ & factæ sunt & nunc etiam impendent, occasionem dederunt. Quæ illi, quum & cupide admittere, & libenter excipere, & studiose amplecti oportuisset, repudiarunt insolenter, & abiecerunt fastidiose, & contumeliis omnibus insectati fuerunt. Nunc igitur meritas pœnas dant non stultitiæ sed vesaniæ suæ, &, si perrexerint vrgere propositum, exitio suo perniciem Reipublicæ videntur esse implicaturi. De quibus quem non docent ea, quæ accidisse constat, is non moueretur mea certe disputatione. His igitur omissis institutam expositionem prosequemur.

VI. Erant tum studia Philosophiæ, qua Theologia inuoluebatur, sciissa in duas præcipue partes. Quarum vna veluti Platonicam de ideis seu formis abstractis separatisque ab iis, quorum moles corporum sensibus subjiceretur, sententiam tuebatur. Hæc

de eo, quod generalis cogitatio comprehendit, vt hominem, animantem, pulcritudinem, etiam ſpondam atque menſulam, quia natura & res ſingularis conſtituitur, *Reales* iſti ſunt nominati. Altera pars Ariſtotelem magis ſequens, ſpeciem iſtam de iis, quæ ſuam naturam ipſa haberent, vniuerſis colligi docens, & concipi intelligendo notionem hanc ex ſingulis quibusdam exiſtentem atque contractam, neque naturas eſſe has per ſe ipſas priores ſingulis, neque re ſed nomine tantum conſiſtere, *Nominales* appellati fuere & moderni. Habuitque vtrumque quaſi agmen ſuos ductores & autores, quorum ſectam ſequi placuerat. Atque non ſolum contentiones & iurgia inter diſſentientes, ſed dimicationes etiam ac pugnæ commiſſæ fuerunt, interdum concertationibus non tantum pertinacibus verborum, ſed manuum quoque violentis. Hæc diſſidia & Tubingenſem Academiam inuaſerant, contubernio bonarum artium & Philoſophiæ ſtudiis deſtinato, in duo quaſi caſtella diuiſo, ex quibus de opinione ſua factiones illæ acerrime prœliantes, inimicitias graues exercebant. Philippus qui certam docendi diſſerendique rationem probaret, & Ariſtotelica in hoc genere primas tenere intelligeret, magnificas & ſplendidas & amplas alteras disputa-

putationes non amabat. Quamuis autem in verborum contentionibus ſuam ſententiam ita aſſereret, vt aduerſantes facile refelleret; id tamen eximia humanitate & parata omnibus, qui vti vellent, opera perfecit, vt ſua autoritate inter ſectas illas odia reſtinguerentur, & quamuis ſtudia diſcreparent, voluntatum tamen maneret coniunctio. Aliis etiam officiis plurimis contubernium interdum rebus difficilibus fulciuit, & ſuſtentauit conſilio opeq; ſua. Nam curatio in eo, conſuetudine Academiæ eius quoque fuit, qui & optimarum artium diſciplinarumque eſſet Magiſter, & publicæ doctrinæ munus gereret.

VII. Poſtquam annos ſex confecit Tubingæ diſcendo & docendo cum magna laude omnium, conuentus fuit Ordinum Imperii Romani Auguſtæ Vindelicorum, quem egit Maximilianus Imperator poſtremum, anno Chriſti M. D. XVIII. Nam proxime ſecuti anni initio ex hac ille vita migrauit. Ad hunc conventum venit & Dux Saxonum Fridericus vnus ex Septemuiris, penes quos eſt deligendi Imperatorem Romanum poteſtas. Acceſſit & Martinus Lutherus, qui ineptias & ludibria in doctrina eccleſiaſtica, cum exitioſa impietate coniuncta, notaſſet & reprehendiſſet, de quæſtu quodam redimendi veniam factorum faciendorumque, & hanc mortuis

quoque conciliandi, quas vocarunt indulgentias. Non enim tolerabile quibusdam videbatur, auſum eſſe liberam aliquem vocem emittere, & quæ egiſſent ii, in quorum manu arbitrium eſſe ſtatuebatur rerum diuinarum & humanarum omnium, improbare. Voluerat autem Dux Fridericus ſedem eſſe Academiæ (ſic enim vſitatum eſt nominari congregationes profitentium doctrinam & ſtudium optimarum diſciplinarum atque artium) in oppido ad fluuium Albim ſito, cui nomen a colore albo Wittenberga; etſi non ignoro a Wittechindo quosdam nomen illud deducere, quod fuit fortiſſimi & potentiſſimi Principis in ea gente, & qui diutiſſime vim & arma Francorum, oppugnante Saxonas Carolo Magno, ſuſtinuit. Oppidum hoc caput eſt regionis eius, quam propriam & peculiarem poſſidet gerens perſonam Septemuiri in Saxonia creandis Imperatoribus Romanis. Atque fundata Academia confirmataque autoritate ante annos circiter ſedecim, Princeps Fridericus nullam curam tunc non ſuſcepit, qua auctior ornatiorque illa fieret. Itaque fama Philippi Melanchthonis nomen celebrante ad ipſum quoque delata, agi iuſſit cum Capnione de conducenda opera doctrinæ Philippi & ſuæ Academiæ recenti adiungenda. Et de eadem

dem re literas ad Capnionem diligenter ſcriptas miſit, in quibus inter alia honorificam mentionem fecit de patre Melanchthonis tanquam familiariter noto. Fuit igitur Capnio autor Philippo, vt conditione, quæ offerebatur, vteretur: animaduertens hanc prioris loci mutationem, exiſtimationem ipſius meliorem eſſe reddituram. Extat inter alia, Capnionis epiſtola de hac ipſa migratione & itinere iſto ad Philippum, nuper a me edita. Ita igitur ille Tubinga diſcedens in Saxoniam, multis ibi quum deſiderium tum memoriam præclaram ſui reliquit; ex quorum numero Similerus teſtimonio ſplendido ornaſſe eum perhibetur, in quo & hoc eſſet: non intelligi neque æſtimari ac perpendi, quantum Academiæ decus & commodum decederet. Tranſiit eques eo itinere Norinbergam, vbi cum præſtantiſſimo dignitate & ſapientia viro, atque etiam doctrina perculto inprimis, Wilibaldo Pircamero notitiam amicitiamque iunxit. Tranſiit & Lipſiam, ibique vidit primum Petrum Moſellanum, Richardi Croci docendis literis Græcis ſucceſſorem, quorum vterque deinde alterum mirifice dilexit & coluit. Peruenit tum in amicitiam ipſius & Andreas Francus Camicianus, iuuenis illis temporibus doctrinæ eruditione celebris, qui dignitatem poſtea & honores præcipuos

est consecutus. Solebat narrare Philippus quid accidisset Lipsiæ in conuiuio, quo hospitem eum Collegium primarium Academiæ illius honoris caussa acceperat. Quum enim cibi crebro inferrentur, & quoties hi apponerentur, vnus quispiam meditata oratione ad ipsum verborum aliquid faceret, animaduersa re Philippus, postquam semel atque iterum respondisset, tandem, obsecro vos, inquit, viri clarissimi, patiamini me auditis orationibus cunctis ita denique semel respondere: nam re improuisa non accessi ad toties dicendum necessaria varietate instructus. Atque ita aiebat tum pompam eam superuacaneæ compellationis deinde adhiberi desiisse.

IIX. Quum Wittenbergam venisset, celeriter consecutus est fauorem & admirationem omnium, & Academia illa mirabiliter cœpit tunc celebrari & frequentari. Vera autem ratione & tractatione illustri doctrinæ omnibus muneribus fungebatur. Et Græcas literas, quarum cognitionem paullo ante Richardus Crocus Lipsiæ profitendo plurimorum studia concitauerat, qui iam reuersus in patriam hoc opus doctrinæ reliquerat inchoatum: has igitur Philippus Melanchthon quum exquisitius docendo, tum certius tradendo, tum etiam scripta veterum autorum huius

huius linguæ vberius enarrando, & singularem expectationem de se concitauit, & vndique allexit auditores atque discipulos, quum haberet annos integros viginti & vnum & ageret vigesimum secundum. Vsus ego sum Croco præceptore Lipsiæ puer, pene triennio, eique me, si qua facultas mihi harum literarum contigit, tam initium quam progressum referre acceptum debere confiteor. In Grammatica sane doctrina, quod est eruditionis omnis in quocunque sermone fundamentum, Crocus excellebat. Ad quod autem vitæ genus & quæ studia postea se contulerit, non est mihi compertum. Quamuis autem Petrus Mosellanus Lipsiæ & ipse excitaret plurimorum studia, & eruditæ doctrinæ fama suum nomen & Lipsicam Academiam illustraret; fuit tamen Philippi opera multo in docendo speciosior, qui a prima pueritia naturæ & voluntatis instinctu bonarum literarum & artium studia secutus, nihil tum etiam aliud curaret aut spectaret, quam istius curriculi laudem, in instituti atque propositi incredibili constantia. Vnde eum non spes maioris dignitatis, non opulentiæ cupiditas, non denique cuiusdam mediocris saltem, quod plurimis est molestum, existimationis desiderium dimouit; sed in eo spacio, quod semel ingressus fuerat, perpetuo

petuo sine vlla declinatione perseuerauit. Etsi autem illustrissimi & vere optimi Principis Friderici voluntate & iussu, accersiti erant & venerant Wittenbergam in omni genere doctrinæ excellentes viri, nondum tamen neque ordine neque elegantia optimarum literarum & artium pulcritudo conspiciebatur, & cogitationum solertiæ explicationis officiebat obscuritas: cui quasi caligini ibi lumen a Philippo primum est illatum, & sapientiæ quidam horror eruditæ doctrinæ veluti serenitate depulsus. Hoc omnibus accidit volentibus & lætis. Neque quisquam metuit, vt talibus temporibus plerumque fit, ne quid de suis vel laudibus vel vtilitatibus decederet alterius gloria atque commodis. Philippus autem quum ætate & dignitate superiores studiose obseruaret & coleret, æqualibus omnia officia in familiaritatis suauissimo vsu præstaret, cæteros variis beneficiis, docendoque & multiplice alia opera, subleuandoque quibus posset, sibi adiungeret; non modo neminem maleuolum aut inuidum, sed amantes & cupidos consuetudinis suæ & admirantes se atque venerantes pro cuiusque conditione, habuit expertusque est vniuersos.

IX. Mirabili tum incremento augescebat fama Martini Lutheri, & fatali conuersione, id est, decreta iustissimo iudicio diuino, mutari incipiebat administratio rei ecclesi-

clesiasticæ, quæ vndique iam labescerent, & tanquam vetus ruinosumque ædificium demolitione saltem partium aliquarum instauranda esset. Hoc quum fieri istamque curam suscipi ab eis, quorum propria esset, boni & pii ardentissimis votis optarent, & prudentes, nisi fieret, quid timendum esset prædicerent & monerent: tantum abfuit vt respectus ad tam necessariam rem excitaretur, & incuria illius excuteretur, vt contra, quasi metueretur ne casus non acceleraret, temeritas arrogantiæ, & audaciæ furor, & despiciens omnes alios superbia quorundam, cæco quodam impetu vtcunque adhuc stantia, dum vitiosa sarcire & tegere conantur, partim conuelliſſe, partim labefactasse & corrupisse videatur; ita vt quid nunc refici emendarique recte possit non appareat, &, quemadmodum fabula de cribro narrat fatuum dixisse, constitui nequeat, qua parte res illæ obstruantur quaque relinquantur patentes. Cumulatis enim & exaggeratis doctrinæ erroribus & actionum facinoribus indignis, professione salutis & vitæ æternæ & cœlestium rerum studio, & religione sincera confusione superstitionis contaminata, denique & enarratione doctrinæ, & vita atque moribus, omnium pene sententia atque confessione correctionem postulantibus, non modo

do neglecta ab iis, quorum maxime intererat conseruari, illa omnia fuerunt, sed demonstrantes etiam laborantium quasi membrorum medicinam, inhumanissime reiecti, & adiumenta omnia remediorum pertinacissime repudiata. Quum interea plurimi non in ædificando sed destruendo perquam strenue occuparentur. Intueatur enim nunc aliquis res & negotia ista,& æquo animo perspiciat, non propendente iudicio in hanc aut illam partem: inueniet profecto miseriæ & calamitatis præsentis simul & impendentis non esse autores eos, qui inclamantur contumelioſe a quibusdam, sed illos ipsos, qui istos accusant, eosque se statumque suum euersum velle insimulant. Quid enim non modo quasi delitescentem in otio & quiete, religiosæ etiam pietatis sensu timidum Martinum Lutherum excitarit, sed postea quoque stimulando instigarit,& irritando prouocauerit, non est profecto ignotum neque dubium. Circumferebat & proponebat quidam audacia ingente & facundia populari præditus eas merces, quarum mentionis nunc istud venalitiorum genus pudet. Indulgentias appellatas esse supra ostendimus. Pertinebat negotium primum ad maiestatem æterni Dei, & attingebatur impie veritas cœlestis, deinde Reipublicæ detrimenta erant manifesta.

Neque

Neque apparebat, qui, non tam malitiæ & fraudum, quam rapinarum & prædæ & atrocissimarum iniuriarum finis sperandus esset. Ibi tum Martinus Lutherus, qui Theologiam publice doceret Wittenbergæ, de iis rebus quærere & quædam ad disputandum proponere. Id studium eaque consideratio omnium approbatione digna, quum maiorem attentionem & tam ardui negotii animaduersionem commouere deberet, hoc modo effecit, vt aduersario prorsus contemto, non modo absurda & falsa non emendarentur, sed addita noua vanitate & commentis aliis inanioribus redderentur magis euidentia. Philippus autem Melanchthon qui cerneret esse in Martino Luthero naturæ bonitatem, & ingenii excellentem vim,& virtutem atque sapientiam maiorem quam in vllo cognouerat, venerari ipsum atque diligere præ omnibus. Lutherus Philippi vicissim probitatem, doctrinam, eruditionem, fidem, candorem, animum paratum ad suscipiendos ferendosque labores, studium diligentiamque maximam quærendi cognoscendique veritatem, & industriam explicandi singularem, eam denique facultatem scientiæ & eloquentiæ, quæ ætatis illius & nostræ gentis rationem & modum longe superaret. Hæc igitur omnia animaduersa in Philippo intuens Martinus

Luthe-

Lutherus non modo eum viciſſim diligebat, ſed dignitate & annis ſuperior non dubitabat neque verebatur colere, habere in numero amicorum, atque etiam ex omnibus amicum præcipuum atque intimum, cum eo communicare ſuas, cognoſcere ſtudioſe ipſius rationes atque ſententias, percontari libenter, & interrogationibus elicere quo ipſe fieret doctior. Itaque inter hos talis neceſſitudo & tantus familiaritatis vſus contractus confirmatusque fuit, quo veriorem arctioremque vix reperias.

X. Admodum autem & ſcelerate errant, qui in huius ſæculi deformitatem atque peruerſitatem & præſentes ærumnas defigentes oculos, de illorum hominum conſiliis & actionibus male ſentiunt, & eas iudicant vitia & prauitatem conſecutasque calamitates contemplando. Nihil in mente tum vlli erat, neque voluntatis alia incitatio, niſi religionis pietas & pura doctrina in omni genere diſciplinarum vt reſtitueretur, vnicuſque hic ſtudii ardor, vt certa & vera & recta comprehendi tradique poſſent. A qua cura operaque refutari & reprehendi neceſſe ſcilicet erat dubia, falſa, praua, quæ plurima vndique occurrebant in tractatione doctrinæ vniuerſæ. Fieri autem omnino nequit, quin monendo & docendo, dum errores notan-

notantur, minus etiam clementer dicatur interdum aliquid; vt qui ſordida loca expurgant, ſolum inquinatum non poſſ nt non attingere & ſcalpere verrendo. Accidit autem tum id, quod in fabula, qua narratur, quendam, ne in facinore deprehenſus manifeſto opprimeretur, iuſſum fuiſſe ſibi proſpicere & fuga conſulere, demonſtratumque locum, qua euadere concederetur, vbi nimirum in area puteum vidiſſet, nam ibi maceriam concidiſſe, vt fugæ exitus pateret. At iſte quum ad locum veniſſet, & non reperiſſet puteum, ſed ruinas quaſdam veteris putei, recurrit & expoſtulat cum monitoribus, ac negat puteum eſſe eo loco, ſed ruinas putei. Quid tua? inquiunt illi, non enim vt biberes ſed vt fugeres ſuaſimus. Reperiſti ne autem demonſtratam maceriam? Reperi, inquit ille; at vos non debuiſtis putei, ſed ruinarum veteris putei, facere mentionem; non enim iſte iam puteus eſt, ſed aliquando fuit. Tu vero, inquiunt illi, tibi proſpice & maceriæ ruinas quærito, non diſputato de putei ruinis, ſi tibi tua ſalus curæ eſt. At vos, inquit ille, tamen male monſtraſtis. Non nos quidem, inquiunt hi, male monſtrauimus, ſed tu male tibi conſulis rixando alieno tempore. Dumque non deſinit iſte nugator altercari, aduenium

qui comprehendere eum volebant, & correptum inter litigandum ad supplicium trahunt. Quid mollius dici potuisset, quam contra impudentissimas conciones de indulgentiis dicebatur? Hæc admonitio non modo nihil profuit, sed nouæ tum absurditates prolatæ fuerunt. Dumque vna audacia trudit alteram, eo tandem res euasit, vt gloriosus Eccius in arenam istam descenderet, qui primo aduentu, vt de milite Plautino parasitus prædicat, difflaret vno spiritu aduersantes disputationes. Congressui isti atque certamini destinatus fuit locus Lipsia, vbi quasi committerentur duo athletæ, Carolostadius & Eccius; eodemque placuit venire Martinum quoque Lutherum; quem est secutus Philippus Melanchthon, & operam subsidiariam in eo prœlio nauauit, admirabilem omnibus, Eccio ingratam & nocentem. Sed de his negotiis nunc non est texenda narratio, & sentio me fuisse in hac mentione verbosiorem quam esse debuerim; quum huc modo contenderit expositio, vt comitatus ille commemoraretur societatis fidelissimæ, non deserente eo tempore Martinum Lutherum Philippo Melanchthone, quum cupiditate ipsius, tum vero inprimis studio veritatis.

XI. Hoc tempus occasionem dedit notitiæ

titiæ nostræ, quæ coniunctione necessitudinis deinde eximiæ aucta, amicitiæ peperit memorabilis vsum, quem, vt spero, posteritas non ignoratura est. Nam quum fama promulgatæ disputationis Lipsicæ multi excitati eo proficiscerentur, contulit se eodem ex Academia Erphordiana, vbi tunc ego degebam, Adamus Craphthus, quem Cratonem nominabamus. Hic, quod inter nos totius vitæ & studiorum omnium esset dulcissima communitas, aliis sermonibus, quos haberet sæpe cum Philippo Melanchthone, in cuius quandam pene familiaritatem iuuenis ille optimarum artium studiosissimus se insinuasset, vltro mei nominis & studii fecerat mentionem, & hortando effecerat, vt aliquid ille ad me scriberet. Attulitque Adamus mihi compositos exaratosque a Philippo Melanchthone in charta parua versus Græcos quatuor, quorum vltimo hoc compellabar:

ὦ μέγα γερμανῶν θεῦμα παλαιγενέων.

Reliquorum non memini. Et dum testimonio eius, qui in tam præclara esset existimatione, mihi placens, ostento chartam istam omnibus, ita nescio quomodo ibi illa mihi euolauit, secundum Plautum, vt fuerit amissa. Siue autem commode vel etiam prolixe loquendo de me Adamus beneuolentiam

mihi tum Philippi Melanchthonis conciliauit, ſeu opinione & ſpe bona de me, & vt redderet alacriorem in ſtudiorum liberalium curſu, ſeu etiam naturæ quadam inclinatione ille complexus me, talia ſcripſit: hoc certe eſt effectum, vt Philippus currentem me, quemadmodum dicitur, incitarit, ſtimulosque admouerit pungentes diu noctuque animum, neque ſinentes cupiditatem præclariſſimi, quemadmodum arbitrabar, ſtudii optimarum diſciplinarum & artium langueſcere. Ex eo tempore videndi ipſum opportunitatem ſemper quæſiui. Quam tandem nactus fui poſt triennium, metu peſtilentiæ & motibus quibusdam temerariis ſchola Erphordiana diſſipata, quum veniſſet ad me Pabepergam in patriam Georgius Pætus Vorchemius, optimus & doctiſſimus & grauiſſimus vir, (quem magiſtrum & hoſpitem mihi delegeram Erphordiæ) & inde me ſecum, probata re meis parentibus, ad viſendam Wittenbergenſem Academiam, quæ tanta omnium commendatione celebraretur, abduxiſſet. Sed de me & coniunctione cum Philippo Melanchthone mea ſatis, vel etiam, vt aliquis forte dicat, nimium.

XII. Reuerſus Lipſia, non depugnato ſed incepto prœlio, (fuit enim iſta diſputatio veluti claſſicum eius belli, quod dudum com-

commotum fieri tunc magis acerbum atque peſtiferum cœpit, cuius qui finis tandem futurus ſit, nondum liquet) Philippus Melanchthon Wittenbergam, maiore contentione animi in Theologicam diſciplinam incubuit, quum tamen nihilominus coleret liberales & ingenuas artes, & has omnibus modis augeret & ornaret. Neque diu poſt deſponſa ei virgo fuit honeſtiſſima veteris & præcipuæ familiæ in ea vrbe, quam duxit vxorem agens annum vigeſimum quartum: cumque ea vixit in matrimonio caſtiſſimo annos triginta ſeptem, & vtriusque ſexus liberos ſuſcepit quaternos, filios duos & totidem filias. Deſiit autem parere illa anno coniugii duodecimo. Fuit fœmina hæc religioſiſſima & viri amantiſſima, materfamilias aſſidua atque diligens inprimis, liberalis & benefica in omnes, pauperum ita ſtudioſa, vt & dando ſine diſcrimine, & deprecando pro illis, & conciliando quibus aliquid poſſet commodi, non modo ſuarum rerum facultatumque minus rationem habere, ſed interpellatione & compellatione pro his ad alios vti ſoleret nonnunquam intempeſtiua. Summa vitæ morumque integritate, inque perpetua cura religioſæ pietatis honeſtatisque, & victus & cultus negligens. Neque hoc Philippus Melanchthon offendebatur, qui nullis deliciarum

rum blanditiis caperetur, & voluptatum omnes illecebras fugeret. Non durus ille quidem neque aſper aut inhumanus, ſed nimis etiam interdum facilis atque indulgens, qui ne ſodalitia quidem hilariora vitaret, atque etiam congreſſuum talium eſſet autor, quique conniueret ad ſuorum familiarium nimiam aliquando lætitiam. Quum quidem ab ipſo nihil fieret aut diceretur perperam & praue, ſed præſentia & ſæpe inſtituto eius caueretur, ne leuitas iuuenilium cupiditatum in turpitudinem aliquam erumperet, quum ludis etiam feria miſcerentur. Quod fiebat in conuiuiis potiſſimum, quæ more Germanico Rege ſodalitii creato, apparari ſolent. Tum enim hoc ſeruabatur, vt nunquam conſiderent ad epulas, niſi prius ſcriptis prolatis & recitatis, quæ componi oportebat ab illis ſodalibus oratione ſoluta & verſibus. Itaque vt videri poſſit nonnihil ſeuerioris diſciplinæ deſideratum eſſe, id tamen præſtabatur, vt verecundiæ pudorisque nulli congreſſus eorum, qui bonos, vel non ſaltem nihili prorſus & futiles, perhiberi ſe vellent, eſſent expertes. Sed redeat oratio ad domeſticam Philippi Melanchthonis vitam.

XIII. Quum & ipſe nullis cogitationibus & curis vacaret, niſi ſalutaribus Reipublicæ, & priuatim tam laudem quam vtilitatem

tem afferentibus, magis quidem aliis quam ſibi, & talem haberet huius vitæ ſociam, factum eſt non modo vt augendæ rei familiari nulla opera ab ipſis daretur, ſed vt etiam ea copia, quæ ſatis abundans non tam quærebatur quam affluebat, effunderetur promiſcua benignitate, neque parceretur vel pecuniæ vel penui, quin petentibus quicquid in manu eſſet ſine recuſatione tribueretur. Videres igitur in ædibus illis perpetuo accedentes & introeuntes & diſcedentes atque exeuntes aliquos, in quibus turba verſaretur omnis ætatis, ſexus, conditionis atque adeo gentis. Exportabaturque & auferebatur non indies, ſed horis ſingulis & pene momentis, aliquid. Nam ea domus diſciplina erat, vt nihil cuiquam negaretur. Veniebant autem ad Philippum Melanchthonem plurimi, qui literas ad aliquos peterent, qui ſcriptum ſuum quodpiam vt emendaretur orarent, qui teſtimonii publici diploma conficci vellent. Alii, qui aliqua de re ſua & oblato negotio conſilium vt ſibi daretur rogarent. Alii, quod accidiſſet publice priuatimue, reſpectum ipſius & conſiderationem & opem requirens, narrantes. Alii, querelas varias deferentes. Multi etiam ſtipem plane exigentes, quam veluti deberi ſibi ab illius immenſa benignitate ſtatuerent. Qua

in parte nonnullorum augeri confirmarique impudentiam, & erant qui tunc ægre ferrent, & Philippi Melanchthonis facilitatem improbarent. Interea alii ad coniugem aut liberos deuenire, & ſibi ſuisque quo adiuuarentur & ſubleuarentur quærere. Quorum nemo non aliquo munere affectus aut triſtis abire viſus. Ipſe Philippus acceſſionis ad fortunas, qua fieret ditior, conſilium cepit nunquam, quin etiam oblata emolumenta aliquoties reſpuit, & quæ plurimi expetere atque arripere deque quibus digladiari non deſinerent, ea quum eſſent in poteſtate ipſius plane abiecit. Quæ quum ita, quemadmodum expoſui, adminiſtrarentur, non potuiſſet ſe & ſuos ille alere atque ſuſtentare, niſi diuina quaſi virgula neceſſaria, & plura etiam quam abſumerentur, ei vndique affatim ſuppetiuiſſent. In quibus modice retinendis ſi paullulum attentionis voluiſſet adhibere, potuiſſet locupletiorem hæreditatem ſuis relinquere. Erat autem in familia ipſius vnus, qui ad eum initio ſtatim venerat, Iohannes Sueuicæ gentis, commendatus a Hieronymo Pamgertnero, qui illo famulo vſus fuiſſet, quem, expertus fidem & probitatem eius & amorem erga dominum mirabilem, Philippus valde carum habuit. Hic curabat domi ipſius omnia, emendo, condendo,

do, cuſtodiendo, promendo, denique res rationesque domeſticas tractando vniuerſas: cuius vigilantia, aſſiduitate, circumſpectione, diligentia, non etiam nulla prudentia, & multa incommoda auertebantur in illa familia, & quantum poterat tantum adiumenti afferebatur, non modo ad ſuſtentandam eam, vt quotidianis ſumtibus impendia ſufficerent, ſed ad copiola aliqua in poſterum muniendam. Hic conſenuit apud Philippum, mortuus in ædibus ipſius anno Chriſti M. D. LIII. relicto exemplo famuli & miniſtri eiusmodi, vt nomen eius maiore cum laude memoretur, qui ſeruili conditione fuiſſet, quam multorum potentia & diuitiis & honoribus excellentum. Quia autem mentio eſt facta Philippi Melanchthonis cuiusdam (dicendum enim verum eſt) negligentiæ in ſuis retinendis & ſeruandis, non putaui reticendum, quod aliquando factum eſt, de quo & ipſius procliuitas in largiendo, & quorundam in auferendo proteruitas, poterit certius cognoſci. Donabantur ei multa aurea & argentea numiſmata antiqua. Hæc fere auferebat qui primus, vbi ille accepiſſet, aduenerat, & nobis nonnulla quum daret, ſolebat dicere: niſi ego ſumerem, relicturum me eſſe aliis. Quodam tamen tempore denarios compluſculos congeſſerat, qui maxime ſignis & ſcriptura

ptura & imaginibus placuissent: eos externo cuidam, quem nominare nunc esset inhumanum, quum ostendisset, animaduertit contemplatione eorum ipsum valde delectari. Iubet igitur sumat vnum aut alterum, quos præ cæteris cupiat. At ille, ego vero vniuersos, inquit, cupio. Non negabat Philippus se impudente postulatione fuisse offensum, sed dedisse nihilominus illos, & satiasse se, dicebat, cupiditatem inuerecundi spectatoris eorum, quibus alterum etiam gaudere & capi par fuisset eum cogitare. Hæc igitur non aliquot annorum, sed omnium quibus & cælebs & coniunx & viduus vixit, vita hac in parte illius fuit. Mirifica autem erat taciturnitas & dissimulatio beneficiorum in largiendo. Sæpeque numero pecunia exhausta, pocula sua ipse solus clanculum detulit ad aliquem mercatorem, nihil curans iustumne pretium an minus eo persolueretur. Qua domesticæ vitæ ratione exposita, quia huic loco conuenire hæc putauimus, perganius ordine enarrare reliqua.

XIV. Disputatione illa Lipsica finita, cœpit non ita diu post pestilentiæ malum oppido esse infestum. Itaque tum dilapsus cœtus scholasticorum fuit, quum Martini Lutheri Philippique Melanchthonis nomine plurimi inuitati vt Wittenbergam peterent, fecis-

fecissent, vt admodum frequens Academia illa esset. Inter quos adolescentes duo fuerunt mei Lipsiæ condiscipuli ambo, alter etiam contubernalis, Sebaldus Munsterus & Caspar Crucigér, quorum vterque virtute sua & diligentia studii præcipuos honores in illa Academia gessit, & interuallo fane multorum annorum mortuus dolorem amicis & desiderium sui omnibus maximum reliquit. Secutum est tempus, quo conuentu indicto Berbatomagi in Vangionibus Carolus Quintus Cæsar fide publica acersitum causam dicere iussit Martinum Lutherum; qui tanquam impiæ defectionis a religionis sanctitate, & seditiosus a Pontifice Romano, vel illius potius assentatoribus & affectis, accusabatur. Is quum iter illud ingressus esset, Philippus Melanchthon ita Wittenbergæ remansit, vt omnem curam laboremque rei scholasticæ sustineret. Accidebat autem tum quod similibus temporibus semper solet, vt vitiis detectis & apparentibus, quum, qui maxime deberent medicinam facere, negligerent atque etiam plurimi irritarent mala, &, quemadmodum dicitur, essent vngues in vlceribus, multa susciperentur & fierent quum audacter tum inordinate, nonnulla etiam turbulente. Et Wittenbergæ variorum generum diuersarumque nationum iam magna

gna copia confluxerat. Et illa omnino ætate fatalis rerum conuersionis, prouenerant homines qui mouerent & concitarent & novarent aliquid indies. Quorum procliuitate credibile est, permittente Deo, abusum esse eum spiritum, qui Diabolus appellatur, quia diuinis operibus obtrectare, & dissipare atque euertere quæ possit, perpetuo conatur, tam vi manifesta quam occultis machinationibus. Non enim audacia & facinora illa quorundam (de quibus dici aliquid neque alienum ab instituto, & cogitari nunc quoque vtile esse existimo) humanæ malitiæ videntur fuisse. Neque res tamen noua neque inaudita prius ista tunc oblata est. Nam historiæ similia atque eadem plane narrant, quibus aliis temporibus, animis hominum in errorem & fraudem inductis, vita perturbata fuerit. Non habeo autem pro certo dicere, vbi locorum & quibus maxime autoribus secta ista furiosa, & de qua deinceps dicturus sum, exorta sit. Sed vnus vagabatur passim, cuius nomen Germanicum habet Ciconiæ significationem. Is ex plebe imperita & simplice plurimos deceptos falsitate opinionis pernicioſæ complebat. Erat autem facile & in promtu insectari eos, qui in ecclesiastica re præsidebant, aut munere quopiam fungebantur; in quos nihil tam contumelioſe dici

posset, quod non factorum illius generis improbitate confirmaretur. Primum igitur eam congregationem, quæ a talibus gubernaretur & administraretur, Ecclesiam esse Christi negare, & dicere ex illa discedendo hanc institui oportere. Et quibus hoc persuaderetur & placeret, eos denuo baptismo initiandos esse. Vnde Anabaptistarum secta illa nomen inuenit. Sed non insistebatur hoc loco, progrediebaturque vanitas doctrinæ ad statum Reipublicæ vniuersæ mutandum. Nihil enim recte & debito modo fieri gerique vspiam perhibebant, quod summa rerum esset penes malos, & a religiosa pietate studioque honestatis & virtutis alienos, qui suis cupiditatibus priuatim seruirent non commodis publicis, & omnia ad voluptatem referrent, in dominatione superba ac insolente. Atque decreuisse Deum extinguere istud genus, & sufficere alterum innocentia iustitiaque & sanctitate præditum. Ad cuius exordium atque incrementa, docebant, necessariam esse curam & diligentiam in procreanda sobole. Et ideo neminem ducere vxorem debere, ex qua non sciret se liberos pios & gratos æterno Deo, & ad communionem regni cœlestis electos, susceptorum esse. Id autem non aliter, quam ipso Deo patefaciente, sciri posse. Et iactabatur præcipuum

donum Dei in illis cœtibus, prædictionis eventuum futurorum, & arcanorum indicii, cuius eximiæ & salutaris rei in veritate nomen est, græcum Prophetia. Compertum autem est multis horum per quietem somni mirabilia visa, & species quasdam vigilantibus etiam aliquibus, sed paucis, oblatas esse. Cognitum etiam est, fuisse in cœtu isto fœminas vaticinantes. Ciconia iste se imperitum literarum esse penitus simulabat, vel erat etiam fortasse, prædicans sibi diuinitus scientiam salutarem contingere. Esse tamen studebant hi in numero suo literatos aliquos. Sed & isti ipsi se magistros doctoresue homines habuisse habereue affirmabant nullos, & copiam scientiæ sibi diuinitus conferri vniuersæ. In quibus vnus erat Marcus nomine præcipuus, qui sibi a Deo hoc esse datum tributumque eximium gloriabatur, vt ipse interpretando & explicando scripta sacrarum literarum excelleret. Hic gentis, quæ putatur incolere eam regionem quam veteres Nariscorum appellarunt, ciuis, aliquando fuerat discipulus scholæ Wittenbergensis. Sed studia deseruerat, siue antea seu posteaquam in illam societatem perveniisset. Nam & hoc erat in legibus istorum: ne quis in otio liberali bonis artibus & literis operam daret: neu aliunde scientiæ

tiæ cognitionisque facultatem quæreret, quam ab æterni Dei benignitate, cui adiumentis humanis nihil esset opus. Nam cur colere aut venerari aliquis vellet Deum? si non dignaretur eo beneficio, quod datum esset patribus & sanctis viris prisco sæculo. Quin etiam par commercium colloquiumque esse a Deo flagitandum, & vrgentibus tribui. Hæc secta absente in Vangionibus, & postea nescio vbi, Martino Luthero, pene anno toto longe lateque est peruagata. Ciconia interdum venire Wittenbergam, sed ibi minus libere & aperte versari. Cæteri aliis in locis serere fallaces sermones, quibus animi imperitæ multitudinis peruertebantur. Sed grati hi erant plurimis, spem licentiæ rerum omnium & simul cuiusdam regni ostendentes. Quod sibi Ciconiam polliceri credebatur, a quo auditum esset, visum se videre aliquando dormientem aduolasse Gabrielem angelum, & postquam adstitisset propter se quum alia commemorasse, quæ proferenda nondum putaret, tum hoc dixisse: Tu collocabere in solio meo. Idque interpretatum Ciconiam, promissum sibi principatum esse regni noui & paullo post exorituri. Hæc initia sunt cladis & calamitatis quæ peruasit Germaniam, serpente malo paullatim & procedendo acquirente vires nemi,

nemine ad cohibendum auertendumue veras rationes ineunte, aut capiente salubria consilia, donec, tanquam amnes eo plenio-res, quo longius a fontibus feruntur, illi conatus & talia incepta in manifestos seditionum tumulus & perfidam vim confluxerunt motuum popularium, & ad extremum in occupationem vrbis Monasterienſis, & regni nefarii detestandum nomen. Quæ causſæ fuerunt, vt Germania scelere & immanitate rapinarum & cædium fœdissime lacerareturr, & passim vastaretur ferro & igni; de quibus & aliorum narrationes extant & hoc loco plura commemoranda non sunt. Ciconia, qui, vt dictum est, vagaretur neque vspiam fere diu consisteret, quæ conceperat animo ea strenue exequebatur. Siue huius autem mandato seu sponte sua Marcus, cuius supra mentio est facta, Wittenbergæ aliquantisper mansit, quem & nos ibi vidimus & cum eo sumus sæpe collocuti. Receperat autem eum ad se Philippus Melanchthon, vel innata sibi bonitate, quum hominis eum misertum esset, vel vt certius cognosceret quid istud genus doceret. Censebat enim, neque admittendum neque rejiciendum quicquam temere, quod parum alicui exploratum esset. Itaque hic hospitem quidem habebat Philippum, sed nihilominus

ad alios ventitabat, & non paucos in suam sententiam perducebat. Quorum caput fuit Martinus Cellarius, qui istis pertinacissime diu sane adhæsit, & causſam hanc egit atque defendit. Quumque anno XXV. in Prussiam venisset, in liberam custodiam Principis iussu datus, multa scripsit de doctrina illa. Postea animaduertens labascere partes & spem se frustrari, Basileam se contulit, vbi ducta vxore quiete deinceps vixit. Hic Suevicæ gentis cum Philippo Melanchthone Tubingæ vsum quendam habuerat, quumque & ipse post discessionem illius Wittenbergam tandem venisset, a Philippo Melanchthone humanissime acceptus & tractatus amantissime est. Nondum probabat ille scholasticæ prioris doctrinæ mutatam rationem, deque ea cum Philippo sæpe disputando pugnabat. Quum autem & ingenio esset minime hebete, & studii diligentia percultus, tradidit ei Philippus Melanchthon discipulos instituendos, habuitque ille scholam priuatam, frequentem & fructuosam. Hunc igitur Marcus amicum & socium & adiutorem & comitem atque etiam ducem nactus, ita tum propemodum semestre substitit Wittenbergæ. Vbi fiebant omnia indies difficiliora, leuitate & petulantia cupiditatis rerum nouarum. Iamque non mussi-

tabatur, sed fremendo ferebatur palam, non quasi pedetentim ad tollenda vitia, quæ in operationes sacrorum irrepsissent, progrediendum, sed irruendum & demoliendum statim quicquid perperam introductum vsurpatumque esset. Ac duorum potissimum deligebatur repentina mutatio: ritus actionis in peragenda Eucharistia, & collocatarum in templis imaginum simulacrorumque amotio. Quæ non modo conuelli exterminarique, sed publice per contumeliam, propter venerationis impietatem, exportari & concidi aut comburi volebant. Neque carebat factio ista patrocinio quorundam autoritate præditorum, in quibus & Andreas Caroloſtadius nominabatur. Philippus Melanchthon tunc quoque fouebat apud se Marcum, quamuis perspicue cognouisset, inania esse omnia quæ afferret, & dissentanea inter se, & pleraque nugatoria, nonnulla etiam eiusmodi, vt non esse sana neque integra eum mente deprehenderetur. Ex quibus vnum hoc duxi exponendum. Quodam tempore scribente nescio quid Philippo, Marcus, qui forte aduersus illum assedisset, in silentio & cogitationibus senſim ibi consopiri, & demittere caput in mensulam, ad quam sedebant, & obdormiscere. Post non multum temporis experrectus erigere se, & intueri

eri Philippum, & interrogare subito: quænam esset existimatio eius de Iohanne Chrysostomo; quumque Philippus commode respondisset: se sentire de illo præclare, quamuis verbositatem ipsius interdum non probaret; tum Marcus, modo, inquit, vidi illum specie tristi in purgatorio. Ad hæc Philippus primum ridere, mox discedere deplorans perturbationem tantam in illo, qui purgatorii faceret mentionem, eam, quam ipsorum aliæ disputationes mirifice refellerent.

XV. Sed quum Philippus pondere rerum & negotiorum difficultate superaretur, neque iis quæ sibi imponi indies grauiora sentiebat par esset, & impendentium periculorum magnitudinem perspiceret: crebris suis aliorumque literis permouit Lutherum, vt Wittenbergam rediret. Et ille (qui paullo ante clam paucis diebus ibi fuisset) tunc palam est reuersus, neque indicata re Principi, neque quoquam permittente, animo excelso & confidente. Et nisi hoc facere maturasset, res Wittenbergensis non modo graviter afflicta atque vexata, sed perdita & funditus diruta fuisset. Reuersio eius incidit in Nonarum Martii dies, anni Christi M.D.XXII. quibus diebus conciones eo habente omnia conquiescebant, & audientes quum singu-

larem facultatem explicandi ſuſceptas res, tum dicendi vim, tum etiam virtutem atque fortitudinem admirabantur, & reuerebantur autoritatem. Interrogatus tunc vnus ex Marci familiaribus, ecquid doctorem eſſe Lutherum egregium iudicaret? Imo, inquit, angeli non hominis vocem mihi audiiſſe videor. Sed Marcus iis diebus aberat, quum neſcio quo quarumue rerum cauſſa diſceſſiſſet. Mox tamen hic ſe Wittenbergam ad ſuum, quem ibi habebat, gregem recepit. Qui rurſum ad ipſum confluere, & opiniones hauſtas inter ſe confirmare, & Marco ad retinendas & defendendas eas animos hortando addere. Inque omnibus maxime & ardentiſſime Martinus Cellarius, cuius paullo ante meminimus. Placuit igitur Martinum Lutherum accedi, & ei ſummam doctrinæ exponi. Ægre Lutherum hoc concesſiſſe reſciui. Sed tandem certo die & hora fecit poteſtatem Marco ad ſe veniendi, ſolo Philippo Melanchthone ſibi adhibito, quum Marcus Cellarium & alterum quendam ex ſuis adduxiſſet. Audiuit Lutherus placide narrantem Marcum ſua. Quum dicendi finem feciſſet, nihil contra illa adeo abſurda & futilia diſſerendum ratus Lutherus, hoc modo monuit: Viderent quid agerent. Nihil eorum quæ commemoraſſent ſacris literis niti,

niti, commentaque eſſe cogitationum curioſarum, aut etiam fallacis & fraudulenti ſpiritus deliras & pernicioſas ſubiectiones. Ibi Cellarius & voce & geſtibus veſanis, quum & ſolum pedibus & propoſitam menſulam manibus feriret, exclamare & indignari, auſum eſſe Lutherum ſuſpicari tale aliquid de diuino homine. At Marcus paullo ſedatior: vt ſcias, inquit, Luthere, me ſpiritu Dei præditum eſſe, ego, quid in animo tuo conceperis, ſum indicaturus, idque eſt: te incipere inclinari ad hæc, vt meam doctrinam veram eſſe credas. Quum Lutherus, vt ipſe poſtea dixit, iſtam dedita opera ſententiam cogitando eſſet complexus: Increpet te Deus, Satana. Poſt hæc, plus verborum faciendum Lutherus non putauit, & minantes gloriantesque eos dimiſit, ac neſcio quid pollicentes de mirabilibus effectionibus, quibus probaturi ſua eſſent, quum hoc modo dixisſet: Is Deus, quem ego veneror & colo, facile veſtra numina, ne quid tale efficiatur, coercebit. Eo die oppido illi exceſſerunt, & Chembergo, diſtante paſſibus amplius millibus quinque, literas plenas maledictis & execrationibus ad Lutherum miſerunt, de quibus longiorem eſſe narrationem hanc meam non decet. De Ciconia autem & Marco ipſo quid factum ſit, & quid ipſi amplius

conati, quique exitus vitæ eorum fuerint, non habeo compertum, deque eis narrata atque prodita scio neque temporibus neque personis consentanea. Et in exponendis his fui prolixior, quod istis rebus & negotiis omnibus Philippi Melanchthonis labores, curæ, opera, consilium, fides, implicarentur.

XVI. Post hæc res satis tranquillæ toto biennio fuerunt. Martino Luthero, quem non desinerent aduersarii, cum manifesto dedecore suo & causſæ quam agebant detrimento, lacessere scriptis leuissimis atque etiam ineptissimis, magno animo & summa contentione asserente sua & aduersariorum scripta confutante. Scholasticam autem doctrinam publice priuatimque assiduo exercebat Philippus Melanchthon, optimarum artium studia conformando & expoliendo, ordiens ab horum quasi pueritia, & progrediens ad vltimam veluti ætatem, (id quod annis aliquot perfecit) vt initium cum fine denique coniungeretur & coiret, & omnis ista tractatio orbe vno comprehensa absolueretur, cuius Græcum nomen esse placuit ἐγκυκλοπαιδείαν. Atque idem sacrarum etiam literarum diuersas interpretationes explicationesque conficiebat & elaborabat. Quum interea ab occupationibus aliorum negotiorum & opera, quæ dabatur omnibus vti volentibus, nihil ei quietis aut otii, vel ad corporis valetudinisque curam, vel aliam vitæ suauitatem & recreandum animum relinqueretur, neque ab ipso vsurparetur; præter vnam voluptatem, quam ex consuetudine & familiaribus colloquiis amicorum percipiebat, qua quoties licebat libenter fruebatur. Quod autem tum facere cœpit, vt seruire voluntati atque etiam cupiditati quorumuis & obsequium suum in promtu cunctis esse vellet, ab eo omni postea tempore non voluit recedere. De quo quidem & memini diuersa iudicia diuersorum audire, & intelligo in vtramque partem disputari posse. Idque indicabo, vbi prius de habitu corporis ipsius & valetudine & natura atque ingenio ac moribus, quam hoc loco apte inseri posse existimaui, narrationem absolvero.

XVII. Fuit statura Philippus breuiore, non tamen breuitate notabili, quum a communi virilium corporum modo illa non procul abesset. Membrorum compositio plane elegans, frons explicata & ardua, insignis vena quadam ampliore in illa eminente, capilus rarior, collum procerum, iugula insigniter concaua, oculi pulcri & acies horum miraliliter clara, pectus satis amplum, ventер

ter & ilia adstrictiora. Omnium autem partium corporis & integra atque vera sua figura, & congruens erat soliditas. Sensus omnes acres, in corpore nulla mole carnium grauato, & eiusmodi vt facile illud quidem propter subtilitatem afficeretur, sed laboris tamen esset patientissimum, neque facile defatigaretur. Atque narrabat ipse, quoties adolescens Tubinga Stutgardiam ad Capnionem venisset, id quod sæpe facere consueuisset, & illa vina bibisset pleniora, artuum dolores se statim cœpisse inuadere, & ideo studuisse citius reuerti Tubingam. Vna fuit ei molesta insomnia. Nam accidebat nonnunquam vt totam noctem vigilaret, quo incommodo quum propter debilitatem, quæ consequebatur, tum obstrepentes, vt fit, cogitationes iniucundas, grauissime affligebatur. Sed hoc malum depulit diligentia in victu, præsertim quum ætate procedente vinis vteretur plenioribus, & aliis generibus potus, quibus somnus conciliari solet. Ad quem se dabat statim post cœnam, & surgebat mox aut non longo interuallo post mediam noctem. Omnesque scriptiones & commentationes cæteræque res, vel saltem præcipuæ, matutina opera ab eo perficiebantur. Requirebatur autem ab eo quies somni nocturna placida. Quantum igitur poterat, cauere, ne qua

qua re perturbaretur animo iturus cubitum: & eam ob caussam literarum vespere allatarum lectionem in posterum diem plerumque differre, earum præsertim, quas Principes aut ciuitates misissent, quibus rem seriam atque magnam agi suspicaretur. Atque senescens post meridiem interdum, non ille quidem in lecto, sed supra scamnum alicubi recumbens & somnum capiens conspectus est. Quum autem eiusmodi potum, quem diximus, prodesse ei increbuisset, vndique ad ipsum benignitate Principum ciuitatumque, & amicorum aliorum studio, ille mittendus curabatur. Constat fuisse admonitum, primis statim annis aduentus sui, Philippum ab illustrissimo Principe Friderico, subjiciente, vt videtur, hoc optimo & doctissimo humanissimoque viro Georgio Spalatino, quo Princeps peculiari sacerdote vtebatur, vt haberet rationem ipse sui in conseruanda valetudine, neu vini vsum intermitteret. Valde autem delectabatur copiola quadam boni & egregii potus, non tam sua ille quidem, quam hospitum, quos inuitabat humanissime & libentissime accipiebat, & aliorum quoque, quibus hunc impertiebat, gratia. Nemini autem omnium in toto oppido cella ipsius clausa erat, & quicquid ea condebatur id petenti promi in hac

domo mos erat. Attentione igitur ille & diligentia assequebatur, vt talis corporis firmitas perpetuis laboribus sufficeret & inter continuos illos duraret. Quum & a medicinis magnopere abhorreret, neque vllam exquisitam curam corporis adhiberet, ac potius in hac re & parte esset negligentissimus, vel is etiam, qui proposito destinato omitteret atque adeo fugeret omnia, quæ corpori curando apta sunt: vnde factum est, vt tandem balnea etiam prorsus vitauerit, quæ aliquando cum amicis ingredi consueuisset. Atque in tali corpore, quale est designatione quadam a nobis effictum, animus erat, quem & illud caperet, & qui idoneum istud quasi domicilium haberet. Humor, quem flauæ bilis nomine appellant, abundantior materiam præbebat affectionibus animi vehementioribus. Grauiter ergo commouebatur, eratque in eo impetus hic repentinus, qui tamen sedabatur celeriter. Reipublicæ & amicorum negotiis ex animo afficiebatur, & hæ curæ interdum sic excruciabant animum ipsius, vt morbus contraheretur. Sed naturæ vi bilis dejiciendo expellabatur, eoque alleuari ille se sentiebat. Ingenio fuit liberali, comi, admodum benefico & humanissimo, ad gratificandum semper paratus. Etiam minimis in rebus officiisque præstandis non modo

modo satisfaciebat expectationi omnium, sed hanc superabat quoque. Quinetiam sua interdum merita aliis eum tribuisse & adscripsisse cognitum est. Non ille consulto alterum quemuis vel aperte maledictis lædere, vel oblique infamare, aut nigros sales, vt dicitur, adspergere, notamue & ignominiam vlli inurere. Nullum etiam fere dictum aut factum alicuius tam duriter vnquam accepit, vt ab illius beneuolentia familiaritateque & vsu refugeret. Nullæ in eo maleuolentiæ aut suspicionum latebræ. Nullæ æmulationis quasi insidiæ. Nihil subdolum, simulatum, tectum, fallax; contraque sincera, simplicia, aperta, vera omnia; oratio libera, sæpe etiam sine circumspectione & consideratione coram quibus illa haberetur; exceptaque esse quædam dicta ipsius, & ad quosdam inuidiose delata, notum est. Quod quum ipse sciret, nullam tamen cautionem huic parti adhibebat, ne ab amicis quidem & beneuolis admonitus. Eadem in scribendo libertas erat. Quinetiam libros scriptaque sua omnia, & literas, quæ afferebantur quotidie plurimæ a diuersis & dissimilibus conditione, loco, fortuna, relinquere omnium oculis & manibus expositas; ex quibus subtractum plurimum esse constat. Et ipse hoc animaduertens, hortantibus suis etiam, vt custodi-

ſtodiret ſua, præſertim quum aliis hoc vt facerent aſſidue præciperet, neque pericula tantum ſed malum præſens ſæpe demonſtrantibus, adduci nunquam potuit vt eſſe aliter inciperet & ſententiam conſuetudinemque hac in parte ſuam mutaret. Voluntati aliorum promtiſſime inſeruiebat atque adeo cupiditatibus indulgebat, quum erga ſe eſſet duriſſimus & immitiſſimus. Quæ non fiebant iudicio, ſed naturæ manſuetudine & bonitate. Seque intelligebat ipſe hoc agendo peccare, quum ſciret & teſtaretur quam pernicioſa res eſſet impunitas & licentia, neque eam coerceri amplius poſſe ſæpe deploraret. Pueros paruulos nimio pene amore complectebatur, & naturæ affectio hæc in ipſo inſignis & pene intemperata fuit, prudentia in aliis ſumma & conſideratio quid deceret. Nihil ruſticum aut agreſte, feſtiua & venuſta plurima. Iocis delectabatur, vel tempeſtiuos potius, vt inter epulas & peregrinationes, minime triſtis atque horridus natura, non vitabat. Vtebatur autem iis ridiculis, quæ ſine contumelia ac probro mordentia læderent neminem & ſales haberent non ineruditos. Ambiguis libenter & ſuauiter ludere cum pueris maxime & adoleſcentibus ſolebat, hoc ipſo etiam exercens intelligentiam illorum ad ſerias fallacias con-

ſiderandas & explicandas, iisque enarrandis ingenia eorum acuens, & alios conſideratione horum fatigari cernens & explicando interdum falli, iſtam hilaritatis occaſionem habebat. Hiſtorias quoque & narratiunculas vtiles & memorabiles crebro exponebat. Moribus omnino placidiſſimis & manſuetiſſimis fuit. Comitas in eo & affabilitas prorſus ſuauis. Si quando etiam vehementius perturbabatur, vt veluti de poteſtate videretur exire, ſedabatur ea cito quaſi tempeſtas, & redire ſtatim ille ad ingenium, ferreque vt antea quæcunque ei imponebantur onera, & exequi quod mandabatur, & efficere quod petebatur. Idque in ſe vel vitium, vel vitii quiddam ſimile, ipſe agnoſcebat. Ac poſtquam deferbuerat ardor ille, iocans de ſe meam referebat interdum narratiunculam & rythmos noſtrates, quibus perhiberetur quidam percutere & confodere, & eſſe tamen vim illam ſæuitiæ lentam atque mitem. Itaque vt iracundiæ commotio in eo erat & ſubita & acris, ſic nemo illo cognitus eſt placabilior, quique moderari ſibi & temperare affectionibus ſciret melius. Animus ipſius in nullos inuidia, odio, maleuolentia ſuffuſus, ad omnes autem apertus atque ſimplex admirabilem in modum. Inter docendum interrogare aliquos fere ſole-

bat

bat de iis quæ tractabantur. Idque faciebat admodum scite & appositè, quod præcepta artium liquido teneret, & meminisset exquisite. Fuitque in eo valde bona memoria, non rerum modo & sententiarum sed verborum quoque & orationis. Quæ igitur legendo comprehenderat, ea hærebant in animo ipsius: &, si quid forte commentatus perscripserat, paruo negotio idem, verbis propemodum eisdem & eadem serie horum, sine scripto postea pronunciabat. Itaque disputando in responsionibus ad obiecta aduersariorum plurimum valebat, & erat illis metuendus. Id quod non semel, institutis de religione doctorum virorum dissentientium partium colloquiis, cognitum est. Si res seria ageretur, studio habebat hoc in primis ne esset dubia oratio & sententia incerta. Neque peius quicquam oderat, quam in argumentando versutias & fallacias conclusionum, quæ σοφίσματα, & quam totam non facultatem, secundum Aristotelem, sed voluntatis incitationem σοφιστικὴν appellarunt. Et sermo igitur planus atque purus & id quod volebat intelligi (intelligi autem volebat concepta animo vera & definita ac certa) significans in studio ipsi erat; & cogitationes contortas argutiis implicantibus irascebatur, ita sæpe grauiter, vt stomacharetur, & obiurgando ipse

ipse peruersitatem callidorum & veteratorum increparet acerbius. Ea autem erat acrimonia illius, vt celeriter deprehenderet talia, neque fere eum quicquam falleret in hoc genere. Vsque adeo autem abhorrebat a dubiis & incertis sermonibus, vt ambiguas figuras orationis in rebus seriis, quamuis vsitatas, ferret iniquius. Ac memini aliquando inter epulas, quum vinum appositum ipsi valde probaretur, iubere illud ex conuiuis vnum gustare & dicere quid videretur. Qui quum respondisset consueta ἀντιφράσεως forma: esse illud haud malum; pene cum indignatione Philippus Melanchthon: bonum, inquit, vinum sic laudari non debet; quod simplicem & propriam commendationem vsurpandam censuisset. Hoc etsi vulgarius atque leuius, moris tamen in illo huius indicium illustre non putaui prætermittendum. Vsque adeo vero indiserta, confusa, vaga, indefinita, inexplicataque auersabatur, vt quoties cum aliquibus de tempore esset constituendum, semper momentum horæ iuberet nominari. Et iis succensebat, qui intra aliquas horas, duas aut circiter, conueniendum agendumue quippiam esse dicerent. Similiter in mandatis dandis exponendisque negotiis maximopere enitebatur, vt de qua re ageretur, ea res plane & expresse demonstrare-

straretur. Itaque non solebat curare iubendum significandumue aliquid, quod ipse coram narrare, indicare, mandare posset, sed hoc munus exequebatur ipse. Cogitandi & omnia diligentissime expendendi in eo cura pene erat infinita. Itaque in sua inquirere ipse semper, & retexendo studere fieri meliora. Quod si in vno studiorum genere ei perseuerare inque illo otiose versari concessum fuisset, haud scio an ea opera efficere & edere potuisset, quæ omnium aliorum elaborationes longe vincerent. Nunc hoc fiebat vt nihil vacui temporis ipsi relinqueretur prorsus, sed iis continuo occuparetur quæ supra indicaui, & nouo quodam mirifico labore insuper defatigaretur. Cœperant enim plerique ipsius & aliorum celebritate moti expetere, vt manu eorum aliquid in suis libellis perscriberetur, quod ostentare possent. Atque aliqui ad tales scripturas chartas conglutinatas & libellos peculiares circumferre: cui rei incredibile est, quantum temporis operæque tribuerit, quum qualis res esset animaduerteret, & negando tamen neminem vellet offendere. Iam quicquid tunc ab aliis Wittenbergæ librorum conficiebatur in omni genere doctrinæ, eorum nihil sine hoc quasi Theseo, vt dicitur, vel non ipso plane magistro & autore, elaborabatur.

Quæ

Quæ vero in doctrina publica dicebantur, quæ recitanda forte erant solennibus in conventibus, quæ proponendæ aliquarum rerum significationes, ab hoc vno scribebantur. Atque visæ sunt chartæ cum humidis adhuc literis reliquæ afferri iis, qui iam pronunciare composita ab eo priora cœpissent. Quid dicam de proœmiis? quibus si ab hoc scriberentur, quod commendari omnes & vendibilia fieri opuscula sua scirent, expetebant hæc plurimi; quum interea & externis daretur opera aliqua ipsius, conscribendis iis, quibus illi docendo, concionando, disputando vterentur. Sed hos labores & istas occupationes tantas æquabat vel etiam superabat vnus: litteras, quibus aliqui commendarentur, & testimonia perscribendi, quæ non modo patiebatur facile abs sese impetrari, sed dabat etiam perquam liberaliter & prolixe. Nam & facultates ipsius & operæ, quibuscunque dari illæ possent, in promtu cunctis, neque suum ei quicquam tam proprium erat, quam communia omnia omnibus. Atque est facilitas ista, & hæc ea res, quam supra notauimus & reprehendi posse fumus confessi: quum quidem reprehendi interdum audiuerimus. Deque ea quoniam dubium non est venire in mentem vnicuique, quid culpantes dixisse & nunc dicere credi-

bile sit, mihi silendum esse duxi. Sed vituperatione tamen liberare eum, vt opinor, potest immensa bonitas humanitasque naturæ, & nullum sibi suisque prospiciendi & consulendi studium, & seruiendi aliorum commodis more etiam confirmatum propositum, & benefaciendi gestiens voluntas: ac fortasse etiam flagitatores, partim molesti improbitate, partim assiduitate acres, quos illum quoquo modo absoluere atque dimittere voluisse, mirandum non est: in quo animus scilicet illis explendus fuit. Itaque pauci, quod optauissent, non fuere consecuti. De nullo autem scribebat quicquam non admodum honorifice, & exquisitis verbis atque sententiis. Ac si caussa magna esset, cur hoc facere nollet, nihil scribebat potius; scimusque pecunias sæpe eum aliquibus dedisse, vt illi discederent neque instarent literas petere, & ita quasi redemisse ab eis interpellationes. Quæ cuncta quamuis in vitio esse videantur: ita tamen & ipsa fuerunt indicanda. Vt enim in facie formosa næuum referre expressa illius imago debet: sic narratio de magnis & præstantibus sapientia atque virtute viris labeculam quoque aliquam, si forte adsit, repræsentans, non facere hoc perperam existimanda est. Philippum omnino Melanchthonem mira afficiebat solicitudo de euen-

euentu rerum negotiorumque, quorum ille particeps esset factus, & tum maxime quum acciderat, vt aliquid ipse censeret aut suaderet, vsque adeo cauendum esse bono viro statuebat, ne culpam admitteret, neue per errorem quoque aut imprudentiam caussam mali daret. Inque his aliquando angoris perturbatio tanta fuit, vt illi pene succumberet. Quum cæteris rebus, & maxime privatis atque suis, animum satis bonum haberet, vel etiam magnum atque excelsum, qui & iniurias patienter ferret atque adeo contemneret, & in periculis adeundis minime esset timidus. Verecundia in eo tanta fuit ad vltimum vitæ diem, quantam haud scio, an qui in altero cognouerit, reperiatur nemo. Sed interea nihil omnino quod inhonestum non esset neque turpe, quamuis parvum atque humile, facere eum pudere aut pigere. Itaque ea ipsum tractare, agere, exequi multi viderunt, quæ infimi etiam famuli inuiti & grauate administrare cernuntur. Valetudo quum initio esset minus bona, viuentis sub alieno cœlo & inusitata ratione cibi & potus vtentis, & corpus valde attenuaretur, & peruigilationibus debilitaretur, quemadmodum diximus; temperantia tamen moderatoque simul & accurato victu illam corroborauit, vt stabili & firma vteretur, ne-

que morbos haberet vllos infestos, præterquam calculorum a stillicidio vesicæ, quemadmodum Plinius locutus est, (hæc Græcis est λιθουρία & λιθίασις νεφριτικὴ) quorum sæpe acerrimos sensit cruciatus. Non multis annis ante mortem etiam oculorum epiphoris atque lippitudine conflictatus est, & quum spirandi viæ semper patuissent, nescio qua de caussa nares tandem obstructæ fuerunt: id quod grauissime molestissimeque tulit. Humoris etiam ad lumbos vapores & flatus (qui grauis interdum ægritudinis caussam dant tam corpori quam animo πάθη hæc ὑποχονδριακὰ vocarunt) tentabant eum nonnunquam, vnde doloris nonnihil capiebat. Potus ei necessarius erat, gratus & bonus. Esca qualibet sine fastidio vescebatur. Sed cibos pretiosos & opipare conditos & delicias epularum prorsus oderat. Piscículos minutos probabat in cibo maxime, & olera atque pulticulas omnis generis expetebat, carnes non item. Et adolescens in contubernio Tubingæ (vbi perpetua consuetudine hordei iuscula cibum communiter capientibus apponuntur) sæpe cum iusculo alterius suas carnes commutauit, vt ipse iusculum duplex alter carnes duplices haberet. A piscibus omnino non abhorrebat, vescebaturque libenter ouis: sed hæc recentia, illos feruentes, afferri

ferri censebat oportere. Itaque in aulis vtrumque esse cibum ingratum solebat dicere, quod neque recentia oua, & pisces fere tepidi apponerentur, quos iocans neque frigidos neque calidos edi debere aiebat. Magnificos apparatus conuiuiorum detestabatur, neque dubitabat libere reprehendere & obiurgare eos qui instruxissent. Ac recordor eum, me præsente, aliquando quodam in conuiuio omnium rerum copia abundante, quum hospes, quemadmodum mos est nostrorum hominum, hortaretur eos qui aderant & Philippum inprimis, vt, quæ potuissent acquiri, iis contenti esse & vesci hilariter vellent, se quidem pro suis facultatibus operam dedisse, vt quam optime acciperentur, sed videre se & fateri parum effecisse, quia nihil quod magnopere bellum esset apponeretur, & quæ huiusmodi alia tunc commemorari solent vsitata dissimulatione: ibi igitur recordor, non sine indignatione eum sermonem Philippum interpellasse, & grauiter monuisse, re manifesta tali oratione non esse vtendum, atque adeo metuendum ne ea ipsa ab æterno Deo animaduerteretur, cui potius gratiæ agendæ essent, quum suppeditante largiter tam multa, tum benigne concedente non modo vsum verum etiam abusum illorum. Sed per-

gamus ad reliqua. Veſtitus eum retinebat modum, quo initio fuerat vſus. Tunicam ſemper geſtabat, tam domi quam prodiens foras, vt tectum vndique corpus eſſet. Interior veſtis conſuetudine horum temporum linea duplex fere induebatur, & ſuper eam lanea altera. Quam veſtem exeuntes in publicum nunc variam geſtant, eius honeſtam ſpeciem demiſſæ ad pedes cum manicis nunquam mutauit. Neque paſſus eſt perſuaderi ſibi, vt externis vllis ſericis aut ſimilibus vteretur. Pelles tamen non reſpuit aquilonares illas, quod eſſent ad calefaciendum corpus efficaciores. De balba voce Philippi dictum iam eſt aliquid, cuiusmodi & Ariſtotelis fuiſſe accepimus; quam tamen Philippi ingraueſcens paullulum ætas ita emendauerat, vt nihil audiretur quod offenderet quenquam. Sed & iuuenis incedens aliquando alterum humerum detorquere nonnihil ſolebat. Horum vtrumque qui imitari vellent reperiebantur, quemadmodum & alios geſtus: vt manuum, quas inter loquendum mouebat, ſuperciliorum quæ ſuſtollebat. Sed imitati tamen complures ſunt meliora atque potiora. His expoſitis, de ſtudiis ipſius, & quæ huc pertinent, nunc etiam quædam addamus.

XIIX. Quum in omnium liberalium ſtudio-

ſtudiorum genere flagrantiſſima eſſet cupiditas Philippi Melanchthonis, nihil tamen habuit prius aut antiquius pietate religioſa, quam ſanctiſſime ſemper coluit, & cui omnes quaſi neruos ingenii ſui intentos eſſe voluit. Itaque in eis potiſſimum omnibus viribus elaborauit, quibus doctrina Eccleſiæ Ieſu Chriſti explicari poſſet. Inque eam partem quam operam dederit, & quid incumbendo effecerit, quum ſit euidens neque quisquam fere neſciat, expoſitione non eſt opus; præſertim quum longius excurrere neceſſe eſſet, quam inſtituti ſcripti ratio & modus pati ferreque videatur. Et procedens tamen narratio ſua illam ſerie attinget & aſſumet. Quum autem requiri ad eam doctrinam Hebraicæ inprimis linguæ cognitionem conſtaret, quam adoleſcens diſcere non negligenter inceperat, hoc conſecutus eſt continuatione ſtudii illius, vt ſcientiam huius adipiſceretur haud vulgarem, ac potius nullorum facultate, qui hac excellere putarentur, admodum inferiorem. Multumque & ſæpe collocutus eſt, de eius linguæ difficili & obſcura tractatione atque notitia, cum Bernhardo Ziglero, qui *Laterenſis* a nobis nominabatur, & ad eam docendam Lipſiam tandem fuit accerſitus, & apud ſe cum Crucigero; quos ambos de natura & veritate il-

lius diligentissime cogitare & rectissime iudicare perspexerat. Amabat autem & magnificiebat Ziglerum non tantum propter istam cognitionem & doctrinam, sed quod de omnibus rebus consideratio illius esset accurata & sagax, ingenium autem perquam liberale &, vt ita dicam, candidum, & constantia summa atque fides certa. Cætera studia & constituebat atque ordinabat, & ipse sine intermissione exercebat. Quumque Wittenbergæ exercitationes scribendi dicendique diu sane iam essent pene nullæ, hoc autore cœptæ sunt materiæ rerum vtilium scribi & publice declamari. Quum ipse suo exemplo præiret cæteris. Nam tum pronunciauit orationem de legibus, quæ postea edita fuit. Non cessabat autem vrgere & sua & aliorum opera assiduitatem doctrinæ publicæ, & crebro veniebat ipse in ea loca & ad illas horas, quibus aliqui docebant, & apud discipulos assidens audiebat profitentes. Quo fiebat vt & hi magis attenti, & existimatio ipsorum melior esset, & discipulorum retineretur frequentia. Quia vero sciebat, omnem humanæ scientiæ veritatem mathematicis disciplinis contineri, neque sine his aut doctrinam certam, aut stabilem cognitionem esse vllam, quibuscunque modis poterat ad has colendas studia iuuentutis inuitabat & alliciebat.

ciebat. In quo non parum negotii ei exhibebatur, propter studiorum istius tractatus minus elegantes & quasi blandos: quum ita adhuc traderentur omnia, vt qui non quasi aptus & natus ad hæc per se esset ipse, horrore illo explicationis deterreretur, nedum audiendi professores artium illarum, aut edita scripta legendo, magnopere proficeret. Vt igitur ridera spectantibus nota fierent, & tota ista doctrina clarior esset & quasi venustior, instituit vt Plinii liber secundus enarraretur, & ad illud scriptum applicarentur ea, quæ astronomicam scientiam perficiunt. Quæ esse nemo fere nescit, primum cœli vel potius mundi quandam distinctam descriptionem, deinde omnium orbium & stellarum conuersiones & motus demonstrantem rationem. Quo nomine, & quia integerrimum & optimum hunc virum cognouerat, valde dilexit Casparem Bornerum, cumque eo celeriter necessitudine, postquam in has regiones venerat, coniunctus fuit. Nemo autem Bornero ante illa tempora exquisitius aut industria maiore situs, loca, figuras, ortus obitusque siderum signorumque cœlestium obseruauerat, neque huius contemplationis iter planius ostenderat. Fuit hic omnino vir egregius & multis magnis verisque virtutibus ornatus, qui piis & ingenuis studiis

fundandis tuendisque fortunas vitamque ſuam impendit.

XIX. De Philippo autem Melanchthone, quod hæc mentio requirat, fortaſſe reliquum ſit vt indicetur facultas orationis, & quo in genere eruditæ doctrinæ præſtitiſſe cæteris videatur. Sed hoc quum manifeſtum perſpicuumque ſit, quod eius ſcripta & extent & ſint in manibus omnium, me diſſerere eſſet ſuperuacaneum. Apparet defuiſſe illi non quidem ingenium, non copiam & vim ſapientiæ & doctrinæ, non literarum ſingularem eruditionem, ſed inchoata perficiendi atque elimandi tempus atque otium. Etſi natura a quadem granditate abhorrens, iudicium voluntatemque ipſius conuertit ad curam potius verſandi in quodam caſtigato & puro atque ſano genere orationis, quam in ſublimi & vehemente & cuius compoſitio operoſa eſſet, elaborandi. Omnino autem ſubtilis & arguta concinnitas, & proprie diſerteque eloquendi omnia ſtudium, conueniebat diſputationibus doctrinæ & ſcholaſticæ veluti vmbræ. Non ille inanibus verbis quaſi perſtrepere, non a re propoſita ſermonem abducere, non aliena intexere, ſed veluti intra ſuas ripas flumen orationis coercere. Hæc eſt in exponendo perſpicua, in narrando & ornata ſatis & copioſa

pioſa, in argumentando acuta neque tamen mollis aut eneruata, verum etiam non declamatoria quidem illa abundantia, ſed luculenta breuitate fortis & animoſa, eosque aculeos defigens, qui penetrando vulnerent non pungant tantum perſtringendo. Nihil autem eſt in hac fucatum, nihil inæquale, nihil ineptum, nullum aucupium varietatis quaſi in pictura colorum, nullus tumor, denique ſimplicia ſunt & recta omnia. Vt ſi de horum temporum & noſtrorum hominum puerili adhuc veteris præſtantiæ imitatione tam glorioſe loqui liceat, non dubitem Atticum perhibere Philippum Melanchthonem. Id quod eſſet euidentius & clarius, ſi mediocre ſaltem otium ad ſuorum illi limam & expolitionem conceſſum fuiſſet; quæ pleraque omnia non edita ſed effuſa, non compoſita ſed feſtinanter in chartas coniecta, non emiſſa ſed expulſa ſunt, non prodierunt ſed euolarunt, vrgente ſcilicet neceſſitate & re poſtulante. Verum ne ſic quidem languent, aut diſſoluta, ieiuna, trita, vulgaria ſunt, ſed quum aſtricta aptis converſionibus, tum membris integris continuata. Vtque fortaſſe ſplendor tanquam ſolis aut auri in illis non eluceat, nitor tamen profecto oſtendit ſe tanquam ſideris aut gemmæ: & vt non quaſi aurea corona conſpi-

ſpiciantur hæc redimita, pulcherrimos tamen in eis elegantiæ & munditiæ floſculos licet cernere. Vnum eſt in ſcriptis Philippi admirabile, quo haud ſcio an noſtra ætate alius illi iure conferri poſſit nemo: Sententiæ in oratione non modo crebræ & exquiſitæ, ſed adeo opportunæ, & apte ſuo quæque loco collocatæ. In iis autem, quæ ex veteribus aſſumi & quibus expoſitio plenior & ornatior & illuſtrior reddi ſolet, quas Græci ἀπεκδοχὰς vocant, vicit non modo Philippus ſtudium & induſtriam aliorum, ſed hac ſolertia cæteram facultatem ſuam ipſe ſuperauit. Quid dicam de exemplis commemoratis & enarratis, & adhæc iis de quibus ageretur accommodatis? In quo genere plurima ſunt in medio opera atque monumenta ſtudii & induſtriæ ipſius. Quid de exquiſitis & ſubiectis rationibus atque cauſſis? In quibus, quod eſt conſiderationis & omnino felicitatis cuiusdam ſingularis, hoc præſtabat, vt afferrentur & pertinentia ad propoſitum atque rem de qua agebatur, & illuſtrantia explicando doctrinam inſtitutam. Quum ſtudium iſtud, dum colligit ſæpe vndique omnia, non ſolum corripere ſuperuacua, ſed aliena quoque attexere ſoleat, adeo vt aliquando plane ineptum deprehendatur. Hoc autem prudentiæ erat, ne quid admiſceret abhorrens aut

aut etiam abſurdum aut certe ſuperfluens, in quo aberraret & vagaretur expoſitio, nedum contrarium aut diſſentaneum aliquid irrepere pateretur. In quo vel indiligentia vel fiducia & erga ſe fauore, reperiuntur eruditorum quoque aliquorum ſcripta iuſtæ reprehenſionis crimen non effugere. In originibus nominum ſcrutandis, inque capiendis coniecturis obſcurorum & incertorum, non modo mirifice ſolers & gnauus, ſed etiam felix fortunatusque erat. Neque vetuſtis nominibus interpretandis, & ad ea quæ his ſignificarentur attribuendis, cuiusquam opera noſtro ſæculo cognita eſt præclarior atque melior. Quo ſtudio ad certam rerum & firmam cognitionem atque ſcientiam vix aliud eſſe poſſit efficacius. Vel ſine illo hæc potius fluctuat ſemper & labaſcit. In iis de quibus conſultaretur, aut etiam deliberatis ſcribendo explicandis & componendis, nemo attentam cautionem illius & dilucidam expoſitionem vincere immo aſſequi potuit. Quam autem res operaque iſta difficilis & magni momenti ſit, norunt illi qui in manibus eam habuerunt & ſunt experti. Vidi cognouique ego eum in talibus operibus non modo ſententiarum pondera examinantem, ſed verba ſingula quaſi aurificis ſtatera perpendentem.

XX.

XX. Quum vero natura esset Philippus Melanchthonis, qui vestigando scrutandoque aliquid non facile falleretur, tum eius animum præsagiisse multa & prædicta ab eo quæ euenerunt scimus, & visa somniorum euidentia atque certa plerumque per quietem illi oblata, (quod genus hominum Aristoteles ἐνθουσιαστὰς vocat) neque fere diuinando hac in parte esse deceptum. Tentabant idem imitando, sicut cætera, alii quoque, & audires passim percunctantes de somniis, & hæc recitantes atque conjicientes & vbique somniantes plurimos, neque personis neque rebus similibus. Sed hæc apponi poterunt ad superiorem mentionem imitationis præposteræ, quum certe exemplum illius multi cum laude & fructu sint secuti. Quod autem hic vniuersæ rerum naturæ consideratione & inquisitione causarum, quibus illæ continentur, exerceri iuuentutis studia ad religiosæ pietatis & cuiuscunque muneris administrationem functionemque valde prodesse sciret: primum tractando Physica erudite, voluntates commouit & animos excitauit discipulorum, & multis illa iucunda vt essent perfecit; deducendo cogitationes ad Medicinæ artis eam partem, quæ stirpes tractat, & cæteras res, quarum explorata notitia in faciendo artem, non modo voluptatem sed vtili-

vtilitatem affert præcipuam, vel etiam ad spem laudabilium operum in curando necessitatem habet. Deinde ad eam, quæ est Ptolemæo pars Astronomiæ seu Astrologiæ, prævidens futura & occulta aperiens, de cœli quadam inspecta facie & animaduerso habitu. (nunc Astrologiam proprie plerique vocant) Ad hanc igitur siue experientiæ seu artis rationem plurimos commendatione sua perduxit. Non enim ignorabat fore, vt liberali quadam curiositate animi adolescentum facile caperentur, & ita ab aliis occupationibus abstracti in spacio studiorum vtilium & bonorum retinerentur. Quinetiam per iocum solebat manus aduersas aliquorum intueri, & de lineis ibi apparentibus indicare id, quod a quibusque expeti, aut quo delectari illos sciret. Neque ideo tamen Chiromantices superstitiosam diuinationem confirmabat, aut leuitati ineptiisque istis dabat operam, vel aliis eas commendabat: quum constet acerrimum fuisse eum inimicum omnium, quibus falsitatis nugarumue aliquid implicaretur, vel quorum omnino fundamenta non niterentur euidente veritate & certis rationibus stabilirentur. Diligenter autem & accurate rem distinguebat, neque patiebatur hominum stultitiam & vanitatem cum vera intelligentia & recto vsu con-

confundi. Quamobrem cum naturæ conſideratione & perueſtigatione coniuncta, a præſtigiis & falſitate ſuperſtitioſa vaticinationum longiſſime ſeparabat. Et quemadmodum illorum ſtudium collaudabat, ita hanc impiam optimæ & præclariſſimæ rei corruptelam vehementer deteſtabatur. Atque requirebat in veteribus quibusdam & prudentiam & moderationem, qui temere ac intemperanter quum Aſtrologiam inſectati eſſent, tum vniuerſas mathematicas diſciplinas reddidiſſent inuiſas. De quo quamvis quum ſæpe multumque verba grauiter faceret, tum ſcriberet luculente; & exiſtebant tunc tamen aliqui, qui illi tanquam autori approbatorique ſuperſtitioſi ſtudii obtrectarent, totamque occupationem huius diſciplinæ malam ac pernicioſam eſſe aſſererent: & nunc etiam liberius a quibusdam hoc nomine mortuo maledicitur. Sed quum manifeſta ſit falſitas criminis iſtius, & malevolorum euidens improbitas, noſtram defenſionem attexi nihil attinet. Refellit enim hos non modo res ipſa, ſed ipſorum etiam odii immanis ſcelerata acerbitas.

XXI. Ipſe ſane Philippus, qui de his, quemadmodum paullo ante indicauimus, dixiſſet ſcripſiſſetque, quibus hoc ſtudium & factum eius ad omnes bonos, vel non ſaltem inſigni-

inſignite malos, facile defenderetur, nunquam voluit cum vllo contendere neque dimicare. Id quod etiam fecit in aliis omnibus: contentus veritate doctrinæ ſuæ, & non ignorans rixando & litigando non explicari quicquam, ſed omnia magis dubia, & incerta fieri. Itaque non ille reprehendentibus & interdum accuſantibus, ſæpe etiam inſolenter calumniando inſectantibus, reſpondere; non de ſuis, quæ notarentur, apologias edere; non etiam pro ſua fama propugnare; ſed iniuria accepta tacere, & patientia frangere vim aduerſariorum. Interea tamen ſua attente conſiderare & inſpicere, & limando reddere meliora. Quæ opera & vtilior Reipublicæ & ipſi honeſtior fuit, quam ſi digladiando certamina auxiſſet, & quibusdam, materiam hanc celebritatis expetentibus, in ea nanciſcenda adiutor fuiſſet. Itaque & Philippi Melanchthonis ſcripta, in quæ plane hoſtiles impreſſiones aliqui fecerunt, & nunc in manibus & poſthac futura ſunt: quum pleraque hæc oppugnantium iam euanuerint, &, ſi quid adhuc in huius ſæculi leuitate quaſi innatat, id breui interiturum ſit vna cum autorum nominibus, demerſum in caliginem & tenebras ſempiternas. Neque rerum iſto ſtatu, & conditione tali temporum, & iis ingeniis ſtudiisque hominum, & adeo confuſis

perturbatis, difficilibus negotiis, (quod haud fere cerneret quæri veritatem, sed dimicare de suis plerosque opinionibus tanta pertinacia, vt in aduersantes non aliter quam feræ bestiæ vesano impetu inueherentur) faciendum sibi Philippus Melanchthon putauit, vt decertando & contendendo eas horas absumeret, quæ forte salutarium actionum & præclaræ doctrinæ occupationibus, quibus nihil prius ei neque potius erat, superfuissent: quum præsertim nihil proficeretur hoc labore ad eos, qui non disputare, argumentari, disserere nouissent, neque omnino vellent aut possent pati sese reprehendi aut admoneri; sed maledictis & contumeliis prœliantes vterentur, & ita refutarent contra suas rationes adducta, quibus aduersari idem esset ac calvum nutando frontem, secundum prouerbium Græcorum, inferre arieti, & viatorem scrutari vesparum cauernas. Quapropter sinebat vociferari impune quoslibet, & ipse quiescere & tacere, & dicere, sibi quoque in ea parte decretum esse facere, quod filiola aliquando sua se facturam esse dixisset. Quum enim hæc abfuisset quondam domo diutius, & ipse eam interrogasset: quid matri respondere vellet, quæ esset grauiter increpatura moram illam? tum memorasse hanc simplice puerilique sententia aiebat, velle se respon-

respondere Nihil. Atque ipse insectantum se iniurias silentio perferre, sibi quoque videri optimum censebat; siue de odio malevolentiaque eorum propria illæ existerent, seu aliorum arbitrio ac voluntati inservirent. Quæ ipse quidem ad dijudicandum relinquens Deo æterno, cuius oculis paterent omnia, non desinebat & voce sua in schola præsentes, & scriptis absentes docere & salutari cognitione instruere. Impendebatque his quasi sumtus laborum & defatigationum & infinitarum molestiarum, neque valetudinem adeo suam neque vitam ipsam maiori curæ habebat, quam publicam vtilitatem & priuata plurimorum commoda. Quemadmodum enim quidam scripsit: Luscinias suauissimos cantus magna homines voluptate afficere, ipsi auiculæ nihil prodesse; ita labores, vigiliæ, occupationes, opera huius viri, ad aliorum vsum commoditatemque pertinebant, ipsi nihil afferebant emolumenti, neque fructus quicquam ex iis ille capiebat, præter studii industriæque honestissimam voluptatem. Quumque audiret interdum aliquos cupidos certaminum vsurpare prætendendo voluntati incitatæ ad rixas sententiam iactatam in scholis etiam Iurisconsultorum: crudelem esse eum qui negligeret famam suam; ridens quærere solebat:

bat: Quemnam conueniret existimari eum, qui ipse læderet? Non enim certe isto pacto defendi illam, ad eos saltem qui veritatis amantes essent, & sapientia virtuteque præditi.

XXII. Quia autem de Philippi Melanchthonis scriptis mentio facta est, non fuerit fortasse alienum monere, nonnihil horum & viuente eo, quum magis non prohiberet quam iuberet aut permitteret, quumque etiam plerumque ignoraret, & post mortem ipsius, quædam prodiisse neque specie illustria neque re eximia, edita nimirum non tam ad nominis ipsius famam, quam puerilis institutionis vsum, & fortasse aliis quoque de caussis. In his sunt explicationes quædam & interpretationes Scriptorum veterum, accommodatæ ad captum auditorum, & ex tempore multa non tam dictata quam effusa & quomodocunque excepta: quum præsertim variis & diuersorum negotiorum necessariis tractationibus occupato, otii temporisque tantum nunquam concederetur, quantum requireretur non ad elaborandum modo, sed cogitandum quoque, vt eiusmodi quippiam efficeretur, quod perfectionis insignem laudem haberet. Quapropter de talibus libellis non ab ipso, sed ab aliis diuulgatis, de ingenio, doctrina, eruditione, facultate Philippi

lippi Melanchthonis iudicium neutiquam fieri conuenit. Sed de iis, qui etiam dicta & sermones quotidianos atque familiares ipsius collegerunt, & ausi sunt cum suis commentationibus diuulgare, quid dicam? Isti vero neque studio neque iudicio neque omnino consideratione aliqua congerentes, quæ ne audiissent ipsi quidem, sed ex aliis fortuito cognouissent, stolida sua temeritate sese quidem infamarunt inprimis, sed Philippi Melanchthonis nomini maculæ aliquid asperserunt, & multorum bonorum virorum futilem atque nugatoriam, vel indecoram quoque & indignam mentionem inculcantes, indignationem illa offensione concitarunt. Verum in huius sæculi impudente licentia, hoc scilicet ad alia innumerabilia mala apponendum, & dandum est insulsæ hominum vanitati, & existimationis seu lucelli quoque aucupio, quum permittantur fiantque impune alia quum flagitiosiora tum sceleratiora. Sed diximus scilicet de his plura, quam necesse fuisse videatur. Quod restat igitur ad id exequendum procedat narratio.

XXIII. Exponemus autem reliqua, annorum serie quos viuendo confecit Philippus Melanchthon, & quid memorabile ei in singulis acciderit, & quibus præcipuis ma-

gnarum rerum tractationibus adhibitus, denique quod curriculum vitæ ipsius fuerit vniuersum. Quibus si quid forte admiscebitur quod exilius & leuius alicui videatur, venia dabitur mihi, qui, fieri potest, vt propter mirificum summi amoris sensum erga Philippum Melanchthonem, quædam æstimem carius quam mereantur. Quod si inter aliquos nostris temporibus veræ amicitiæ constans atque firma fuit coniunctio, & inter nos eam fuisse spero plurimis esse notum vel certe persuasum. Diligere ille me cœpit antequam vidisset. Conspectum tanta amoris affectione est complexus, vt excitari beneuolentia illa diuinitus videretur. Neque enim a me quicquam quod eius fauorem mereretur profectum, neque mei ille indigens, neque vtilitatis expectatio vlla fuit. Nisi fortasse ex similitudine studiorum voluntatumque exardescere potuit amor iste, qui familiaritatis & quotidianæ consuetudinis vsu crescens, ad perfectionem veræ amicitiæ progressus est, vel certe imaginem quandam atque simulacrum expressit. Accessit par propemodum ætas, quod triennio tantum integro me esset ille maior. Vt caritas beneuolentiaque nostra spacium ferme æquale ad decurrendum ingredi videretur. Et Philippus Melanchthon, quanquam nuper & Reipubli-

publicæ & suis & mihi ereptus est, non tamen memoria sanctissimæ necessitudinis simul etiam sublata est, neque hæc reliquo vitæ meæ tempore extinguetur, & viuet etiam in posteritate grata semper. Pietas enim illius, & humanitas, virtus, sapientia, liberalitas, constantia, fides, doctrina, amoris causa fuit. Quæ tantæ laudes mortuæ profecto non sunt, neque morientur vnquam. Neque solum mihi in oculis sunt, qui & certius intuendo, & fruendo vberius, penitus eas perspexi, sed ab aliis quoque compluribus & nunc cum admiratione perpenduntur, & posteris notæ celebresque sunt futuræ. Ex quibus, qui recto consilio & spe honesta & laudabili voluntate susscipere aggredique in studiis præsertim maiora voluerit, erit nemo, qui non ipsius cupide & adiumentis operum vti, & exemplum ad sequendum proponere sibi velit. Mea quidem nulla dulcior est cogitatio, ea, qua familiaritatis consuetudo & necessitudinis nostræ vsus reminiscendo quasi repræsentatur; cumque hoc bono non inuenio alterum quod debeam comparare, in quo mihi de maximis rebus consensio, inque eodem consilium auxiliumque difficili tempore rerum priuatarum, & consolatio sæpe doloris, gratissimaque interdum & plena oblectationis quies fuit. Nemo vnquam sensit eum

eum esse a me offensum, quum laboris & molestiæ causas ei aliquando me dedisse, ipse nunc quoque ægre feram. Ab eo nihil vnquam contrarium mihi, aut quo vel minima tristitia afficerer, dictum factumue est. Neque est in hac fortuna conditioneque nostra aliis de rebus dicendum, sed domi tamen & foris sic vna fuimus, vt consiliorum rerumque omnium inter nos esset societas. Studia certe eadem communiaque prorsus fuisse & lætor, & gloriari non verear, & in dolore non possum non iucundissime recordari. Quæ quum omnia in animo mihi sint & versentur ante oculos, nonnihil lenitur desiderium amissi tanti amici, præsertim quum ille suo omnino tempore decesserit. Quumque de eo narratio instituta sit, si nihil, quod cognitionem meam non effugisset, silentio prætereundum arbitrer, vel ignosci studio meo posse, vel diligentiæ etiam gratiam haberi oportere existimo. Et vt aliquid mihi memorabile alteri paruum & contemnendum esse videatur, excusare me, quemadmodum opinor, poterit omnibus insitus error de iis, quæ singulari quadam & eximia cupiditate adamauerunt.

XXIV. Etsi autem luctuosa & acerba mors Philippi Melanchthonis omnibus fuit, non suis modo sed etiam extraneis, bonis saltem

saltem aut non certe improbis; in ea tamen tempora easque res hæc incidit, vt ei non tam longiorem vitam ademisse æternus Deus, quam maturum finem largitus esse videatur. Superauit annum LXIII, quem modo perpauci attingunt. Distracta omnis vita illius fuit ingentibus laboribus & curis perpetuis, & grauissimis Reipublicæ priuatisque negotiis, & expertibus omnis remissionis solatiis. Obiit mortem placide & omnino feliciter, suauissime acquiescens obdormiscendo in eius veneratione, quem semper religiosissime coluerat, Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, & spe immortalitatis & vitæ æternæ: hoc ipso exitu e vita beatus, quod declinans præsentem miseriam impendentia non modo pericula sed mala migrando hinc vitauit. Non cognoscit iam in terris indies orientes nouas pernicioſarum rixarum turbas, & inexplicabilium quæstionum controuersias, & maiorum dissidiorum causas, non ambitione animos plurimorum & inuidiæ odiique flammis incensos, non scelera audaciæ ruentis atque præcipitis ad interitum. Non videt præsens ea suscipi & geri, quorum exitus anxie solicitum animum ipsius sæpissime habuissent. Non audit aut legit indicia & significationes consiliorum actionumque vel absurdarum atque peruersarum,

vel etiam exitialium ac pestilentum. Non spectator est eius furoris, cuius impetum ipse semper valde metuit, vt animorum acerbitate palam erumpente, etiam coniuncti antea studiis atque doctrina dissilirent, & se mutuo gladiis suis pene in oculis aduersariorum conciderent. Atque abitu omnino suo hoc consecutus est, vt non amplius huius aut illius nomen tanquam Pelopidarum, neque rumores nefariorum conatuum & audaciæ infinitæ exaudiat. Non adhibitus est ad illa, quæ quum non posset simplicis veritatis assertione defendere, varias multiplicesque aliorum excogitationes, quibus interpolarentur, & tortuosa quædam veluti emblemata, ferre & admittere fuisset ei instar mortis. Denique effugit alias aliorum criminationes, vt ab his nimium facilis aut lenis aut timidus, ab illis plus æquo pertinax, durus, confidens perhiberetur. Quin etiam aliqui, quod ille profecto inprimis dolenter tulisset, veteratorem eum & aliis horribilis ignominiæ nominibus, impudentissime mentientes, non dubitarunt appellare. Nemo iam obstrepit auribus ipsius exprobrando dicta scriptaue partim insidiose excepta, partim depravata atque palam corrupta, neque suspicionum malitia præsentem onerat. Atque hæc omnia opportunitate ipsi optatæ mortis ille effugit,

fugit, vt statuendum hoc sit, quum non aliter quam propitii Dei benignissimo consilio ortus fuerit & his temporibus nobisque donatus Philippus Melanchthon, esse eundem bonitate & fauore erga ipsum diuino sublatum, & ademtum ei vna cum vita sensum metumque calamitatum earum, quæ statim mortuo illo affligere religiosæ pietatis optimarumque disciplinarum & artium studia atque doctrinam grauius atque turbulentius cœperunt. De qua quid deinceps futurum sit, vel ominis caussa, vel ne seniles desperationes inculcasse & materiam cuiusdam quasi declamationis videar quæsiuisse, plura non dicam, commendans nostræ ætatis salutem & prosperitatem custodi generis humani Filio Dei, Deo æterno, & ei permittens cætera. Atque ita, vt me facturum iam dixi, vitæ cursum, quem in terris confecit Philippus Melanchthon, serie annorum persequar enarrando.

XXV. Anno Christi Iesu M. D. XXIV. proficisci illi in patriam placuit. In quo tamen ipso etiam non tam suæ cupiditati quam arbitrio amicorum morem gessit. Comitem habuit eo itinere Wilhelmum Nesenum, cuius familiaritate iucundissime vtebatur, & quem propter ingenii bonitatem, prudentiam in iudicando, doctrinam, multarum

tarum rerum cognitionem atque experientiam, & magni faciebat & valde diligebat. Sequebantur Philippum duo adolescentes, Franciscus Burcardus Vinariensis & Iohannes Silberbornerus Berbetomagensis, quorum vterque postea dignitate & honoribus longissime processit. Burcardus enim illustrissimis Principibus patriæ suæ grauissimas & præclarissimas operas dedit, & rebus difficilibus atque duris præstitit fidem & nauauit studium. Silberbornerus quum Iurisconsulti personam egregie tueretur, aduersa valetudine quasi apud se est detentus, qui si corpore valuisset, honorum laudisque tantum assequi potuisset quantum collibuisset animo suo. Sed artuum cruciatus, quibus crebro affligebatur, longius eum progredi passi non sunt. His & ipse me tunc adiunxi, sumusque vecti equis omnes, eo quisque quem potuit nancisci. Et venimus Lipsiam, quo die obiit mortem Petrus Mosellanus, qui corpore fuerat perimbecillo & parvo, quum ingenio & eruditione doctrinæ excelleret. Ad eum morientem accessimus Philippus & ego, & hoc luctu tristi acerboque sumus affecti, ille amico eximio, ego carissimo præceptore deinceps carituri. Erat Neseno veniendum certis de caussis Francofurtum ad Mœnum. Illuc igitur primum

sumus

sumus profecti, & accepti tractatique publice priuatimque officiose & benigne. Quum autem hoc itinere placuisset transire regionem eam, cui nomen fagi Buchononiam fecerunt, mansimus vnam noctem Fuldæ, vbi tum Crotus Rubianus & Adamus Crato degebant. Qui aduentu nostro affecti magno gaudio, omnia humanitatis & hospitalitatis officia prolixe nobis præstiterunt. Ibi etiam certi aliquid primum cognouimus de morte Vlrici Hutteni; quem vt viuum magnifacere & admirari propter doctrinæ eruditionem & præstantiam ingenii, sic ab illius natura vehemente & excelso animo & voluntate ad nouas res propensa, quam consuetudo etiam quorundam immoderatiorum incitarat, nonnihil timere Philippum Melanchthonem licuit animaduertere. Interceserat Hutteno cum Croto Rubiano singularis vsus a prima adolescentia, quo autore vel certe adiutore reliquit ille contubernium Fuldanum, in quod pene puer magis disciplinæ quam religionis caussa datus esset, & Coloniam Agrippinam ad optimarum artium & literarum studia percolenda profectus est. Postea venit in Italiam, vnde eum reuertentem in patria mea primum vidi anno Christi, vt meminisse videor, M. D. XVII. Celebrabat autem fama non eruditionem modo illius,

sed

sed fortitudinem quoque glorioſi facinoris prædicatione: quod Gallicæ gentis quatuor Viterbii, quo forte tunc Roma ille excurriſſet, (quum eodem diuertiſſet a Rege Gallorum legatus quidam ad Pontificem Leonem contendens) orta rixa ac certamine, profligaſſet dimicando, vulneratus quidem & ipſe deſertusque a ſocio itineris illius, quemadmodum eum audiui Fuldæ narrantem anno Chriſti M. D. XIX. ſecutus conferentem ſe Erphordia in patriam Adamum Cratonem ſummum noſtrum. Vbi iterum tunc Huttenum vidi, & cum eo aliquot dies familiariter ſum verſatus, decedente ex aula Moguntina in qua circiter biennium manſerat. Adiunxit deinde ſe Franciſco Siccingenſi, quum quidem & antea implicatus fuiſſet motui bellico, quem fecerat in agro Wirtenbergenſi Huttenica gens, interfecto populari ibi quodam ſuo, & rei militaris ſtudium præ ſe ferret, & repræſentante ſe imagine armata maxime delectaretur. Tandem hic poſtremo grauis querelæ ſcripto contra D. Eraſmum Roterodamum edito, quod ille parum ſane molli ſpongia abſtergere ſtuduit, non procul ab vrbe Tigurina morbis confectus, quibus frequentibus & acribus laborauerat, mortem obiit, annos natus XXXVI. Fuit nobilitate generis antiqui inprimis clarus, doctri-

næ eruditæ princeps, impatientiſſimus iniuriarum, libertatis immodice cupidus, non prorſus alienus a ſæuitia, quæ etiam vultus acerbitate & minus clemente interdum oratione indicabatur. Sed neque opum abundantia, neque corporis, in quo admodum puſillo atque debili inerat animus ingens ac ferox, viribus pollens: vt de eo mihi ſæpe in mentem venerit verſuum, quibus perhibetur: ſi reſpondiſſent vires atque potentia Demoſthenis propoſito & ſolertiæ, nunquam fuiſſe futurum, vt in Græcia ſumma rerum potiretur Macedo. Nam ſi conſilia & conatus Hutteni non defeciſſent quaſi nerui copiarum atque potentiæ, iam tum mutatio omnium rerum extitiſſet, & quaſi orbis ſtatus publici fuiſſet conuerſus. Et dolore autem tum Philippi Melanchthonis ac noſtro, & deploratione quoque Croti, quaſi iuſta facta ſunt Hutteno. Deque eo in itinere verſus a nobis compoſiti, & refutati quidam mortuum lacerantes. In quibus quum Luſcinius quiſpiam nominaretur, vulturem hunc potius eſſe epigrammate quodam Melanchthonis dicebatur. Venimus autem Fulda die tertio Francofurtum, vbi reperimus Ludouicum Carinum, cuius tum ſuauitate Philippum Melanchthonem admodum delectari animaduerti potuit. Poſtquam in patriam

venit, vnaque nos omnes, eas ædes petiuimus quas incolebat vitricus ipsius. Ibique diuertimus apud matrem Philippi. Sed ego, comitibus adolescentibus duobus quos supra nominaui, incensus cupiditate videndi Erasmum Roterodamum, perrexi Basileam. Et inde reuersus cum discedente Melanchthone (cuius aduentus quemadmodum suis fuerat lætissimus & iucundissima consuetudo, ita abscessio triste desiderium reliquit, matri præsertim & fratri Georgio) eo itinere Eytelbergam veni. Vbi Hermannum Buschium vidimus, qui Philippum iuuenem senex amantissime cum quadam reuerentia complexus, nobis adolescentibus se ita quoque dedit, vt facile intelligi posset, affectionem beneuolentiæ & amoris erga nos ipsius esse singularem. Academia etiam Eytelbergensis studium erga Philippum Melanchthonem suum officiosissime & benignissime declarauit.

XXVI. Reuertentibus nobis non longe Francofurto obuiam factus est illustrissimus Princeps Hessorum Philippus, admodum adhuc iuuenis, proficiscens ad ludos indictos Eytelbergæ, vbi Principes Germaniæ conuenturos esse aiebant tredecim, & affuturum quoque vel potius iam adesse Cardinalem Campegium. Is quendam ex suis, qui

qui nomen sibi Nauseæ imposuerat, Germanico significationis illius in Latinum mutato (patriam enim habuit hic in montana regione Pabepergensi ad Mœnum.) Eum igitur ille ad Philippum Melanchthonem miserat, vt cum ipso, quasi sua sponte accessisset, de controuersiis ortis colloqueretur, & sententiam voluntatemque ipsius exploraret; vtque etiam polliceretur prolixe, si Philippus desertis partibus ad se transire vellet. Eum Philippus cum simplice & breui responso dimiserat: ea quæ statueret & sciret esse vera, nullius mortalis respectu aut gratia neque spe emolumenti aut ambitione amplecti se & defendere, neque ab iis, qui illa docendo protulissent & nunc asserendo confirmarent, vnquam separaturum suas rationes. Quod autem adhuc feciisset, vt doctrinam puram & sinceram diligentia studii sui præstaret sine obtrectationibus & pugnis, in eo se esse perseueraturum. Hortari omnes, qui in hoc genere communi tranquillitati & saluti consultum vellent, vt ad sananda vulnera, quæ amplius tegi non possent, consilia atque operas conferrent, & quorundam furiosam audaciam coerceri studerent, qui exulcerata veluti infestis vnguibus lacerare non desisterent. Hoc nisi facerent, & ruere si mallent, videndum eis ne prolabendo ipsi primi præcipitarentur.

rentur. Itaque tum Nauſea diſſimulatis omnibus abierat. Sed Princeps Heſſorum quum in Philippum Melanchthonem, vt dixi, incidiſſet, de aliquorum fortaſſe indicio, qui ſcirent eum in patria fuiſſe, ſuſpicatus illac eum reuerti, & animaduertens equitatum noſtrum eſſe minime equeſtrem, idque quod res erat arbitratus, ad Philippum Melanchthonem aduehitur, &, nunquid ipſe ſit Melanchthon, interrogat. Ille ſe eſſe reſpondit, & honoris cauſſa de equo deſcenſurus iubetur a Principe in equo permanere, & conuerſo itinere ſecum pernoctare, cupere enim ſe de quibusdam cum eo loqui, habere autem bonum animum neque quicquam metuere. Philippus & a Principe nihil ſibi ſe timere, reſpondit, & eum eſſe, de quo quid fiat, non multum referre videatur. At enim, inquit arridens, ſi tamen te adducam & tradam Campegio, haud illi ingratum me facturum crediderim. Ita Philippus tum propter Principem pergens, ad quædam fortuita interrogata reſpondit & breuiter neque explicate. Non enim aliter tum poterat. Principis etiam animus nondum magnopere res illas curare, atque eſſe aliis cogitationibus intentus videbatur. Sed quum Philippus enixe peteret, vt ſibi ſuum iter exequi cum bona Principis gratia concederetur,

tur, impetrauit tandem ne abduceretur longius: eaque conditione Princeps illum dimiſit, vt de quæſtionibus, quas audiiſſet moueri, reuerſus domum aliquid diligenter conſcriptum curaret quamprimum ad ſe perferendum. Percontatus etiam eſt de commeatu, & iuſſit iter fieri per loca ſuæ poteſtati ſubiecta, & mandata dedit de vſitata deductione in ſuo territorio. Ex quo poſtea per iocum, neſcio qua ſententia, Princeps ille diſcipulus Philippi fuit a quibusdam appellatus.

XXVII. Reuerſo Wittenbergam Philippo Melanchthone, nobisque cum ipſo, inuſtus eſt acerbiſſimus dolor, ex triſtiſſimo caſu mortis Wilhelmi Neſeni, qui lintre piſcatoria traiecturus Albim, id quod ſæpe ab eo recreandi animum gratia factum fuerat, quum impegiſſet illam latenti ſub aquis arboris trunco, de improuiſo vacillante inflexaque in latus lintre, excidit & in amne eſt ſuffocatus; quum quidem eo die poſt prandium paullulum conſopitus, talem ſpeciem per ſomnum oblatam vidiſſet, offendentis lintris & fluctuantis, & prolabentis ſui ipſius in fluvium. Id ipſe aduentanti tum Philippo, qui crebro accedere eum ſoleret, narrauit, deridens cum iocis ſomniorum vanitatem. Recordati & nos fuimus, quid in itinere ac-

cidisset. Est oppidum Hessorum Træsa, vbi quum pernoctassemus, mane exeuntes petivimus præterfluentem amnem aquationis caussa. Dumque ibi Philippus Nesenusque & ego, cæteris prouectis donec equi biberent, moramur, conspicit Nesenus tres coruos in proximo colle & ore & alis sonos gestusque edentes singulares, quasique tripudia facientes. Quærit igitur ex Philippo, quid portendi augurio illo existimet? Quid enim, inquit Philippus, aliud, quam vni ex tribus nobis propinquam mortem. Hoc dicto sensi grauiter percuti animum meum & me vehementer perturbari, quum Nesenus iocose eludens illud ita hilaris pergeret. Atque tum quidem veritus fui interrogare Philippum, quid in mentem veniisset ei vt de oscinibus istud interpretaretur? Sed postea narrauit se existimasse, qui tam imbecilli esset corpore & valetudine mala, non posse esse vitam suam diuturnam. Et eo sane itinere interdum non modo grauiter, sed periculose etiam, insomnia & peruigilationibus fuerat conflictatus. Neque hæc eo commemorantur, quasi aut obseruationi superstitiosæ volatus gestusque auium aliquid a me tribuatur, aut Philippus Melanchthon tales diuinationes vnquam curarit; sed vt intelligatur, mirabiliter interdum quædam accidere, quæ neque

neque deridenda sint, & post euentum varias cogitationes commouere soleant. Scripsit de morte Nesseni epicedium optimus & doctissimus vir Iacobus Micyllus, & extant quum nostra tum aliorum epitaphia.

XXIIX. Auxit tristitiam hanc nuncius crudelissime hoc anno interfecti viri grauis atque constantis, & doctrina egregie instructi, magnanimi quoque, sed & sapientis & perquam modesti, Henrici Sutphanienſis, qui in Ditmarsia (quo acersitus venerat ad cœlestem veritatem demonstrandam populo illi, & concionandum de Euangelio Iesu Christi) inopinato comprehensus & excruciatus immaniter horribili supplicio necatus esset. De cuius mortis autoribus & architectis hoc reperiebatur, vt fraude & malitia vicini sacerdotii eam oblatam esse optimo & sanctissimo viro dubitaret nemo. Valde hunc Philippus Melanchthon dilexerat, & fuerat aliquando Wittenbergæ carus vniuersis, & celebravit eundem Philippus mentionibus honorificis, quas inseruit scriptis suis. Post Neseni hunc casum placuit mihi paullisper secedere, & tunc ad clarissimum virum Georgium Sturciadem summum amicum me contuli, qui in patria forte erat Annæbergæ. Et Wittenbergam reuersus non diu illic mansi, reuocatus in meam patriam.

Quo profectus sum circiter Idus Octobris.

XXIX. Interea Andreas Carolostadius nonnihil vel ipse dedit turbarum, vel non cauit certe neque prouidit ne quid daretur. Et tum quidem Wittenbergam reliquit, ita vt simultatem cum Wittenbergensibus sibi esse fateretur, & non dubitaret aliqua notare & reprehendere, quæ ibi docerentur. Deque iis etiam edita scripta quædam fuere. Præ se ferebat tamen studium de illis ipsis cum Luthero & aliis differendi, & suæ quædam rationes si explicarentur, & adimerentur dubitationes, se libenter in ipsorum sententiam concessurum & denuo cum iis coniuncturum esse. Sed hæc dum mouentur, & incipiuntur actiones, & obtinetur vt tuto Carolostadio quos velit conuenire liceat, interuenit calamitas seditionis plebeiæ. Post quam tamen & ipsam impetratum fuit ab illustrissimo Principe Iohanne, qui fratri Friderico successerat, vt in Saxonicis regionibus domicilium habere Carolostadio liceret. Qui aliquantisper antequam in Heluetiam abiret, priuatus, vixit Chembergi. Ita iam progrediens expositio nostra annum Christi M. D. XXV. peruenit, qui quasi inundatione quadam seditionum fatalis fuit toti Germaniæ; quum quidem de siderum superioris

ris anni congressu, astrologi plerique eluuies aquarum prædixissent. Sed hæ fuerunt sanguinis, & horribilium facinorum, de quibus modo scribendum non est. Harum rerum scelerata consilia & actiones nefariæ quibus angoribus confecerint animum Philippi, qua affecerint solicitudine, quantopere excruciando afflixerint, verbis exprimi nequit, & de literis ipsius ad amicos missis & aliis scriptis perspici potest.

XXX. Euenit autem vix sedatis illis tam turbulentis & periculosis motibus, vt Martinus Lutherus vxorem duceret, paullo etiam ante mortuo Friderico Principe Septemuiro creandis Imperatoribus Romanis. Ex quo facto maximum dolorem cepit Philippus, non quod illud damnaret, sed quod occasionem dari cerneret inimicis & maleuolis, quos habebat Lutherus & numero complures, & opibus potentiaque præstantes, acerbius insectandi & liberius maledicendi ipsi; quum præsertim, quicunque hoc facere voluissent, adiuuari atque instrui tempore animaduerteret, in quo plurimum ad omnium rerum momenta situm esse constat. Verum quum & Lutherum ipsum iisdem cogitationibus nonnihil conturbari intellexisset, non modo suum est dolorem moderatus, sed illum quoque consolando erexit, & tristitiam

moleſtiasque eius hilaritate colloquiorum leuauit, & ad priſtinam eum alacritatem reduxit.

XXXI. Eo anno proficiſcens cum nobilitate generis, pietate, virtute, ſapientia præſtantiſſimo viro Iacobo Fuxio, ordinis equeſtris in Franconia, cui Pruſſiam videre placuerat, quod poſt oppreſſos ſeditioſos magna eſſe vbique confuſio rerum, & quorundam ferox inſolentia, & nihil vſpiam amantem patriæ & ſtudioſum veritatis & alienum ab inhumanitate oblectare poſſet: Tunc igitur Wittenbergam veni, & reuertentes cognouimus interea allatas literas fuiſſe ſcriptas ad Philippum Melanchthonem a Senatu vrbis Noricæ, quibus accerſebatur ad deliberationem de ludo literarum apud ſe inſtituendo. Norimbergæ tum principes Senatus erant Caſpar Nucelius, & Hieronymus Ebnerus, & Lazarus Spenglerus nomine quidem ſcriba ſenatorius, ſed reuera conſiliorum omnium fere autor ac gubernator. In Nucelio vigebat animus altus atque magnus, & ita prudens, vt neminem audiuerim, quum ſermonibus interfuerim de eo plurimorum, qui in iſto genere ciuilis rationis ac facultatis quenquam præſtantiorem illo cognouiſſe diceret. Quæ ſecum ipſe deliberando e Republica eſſe ſtatuiſſet, ab iis nullius odio aut amore abdu-

abduci ſe patiebatur. Non obtineret aliquid & vinceretur aduerſantum numero, at ipſe diſſimulare ſtudium & propoſitum ſuum, & facere quod omnes cuiuscunque artis non vulgariter periti ſeruant, vt permanente eadem de ſui operis abſolutione ſententia, non facile mutent efficiendi illud inſtitutum modum, neque deſiſtant ab experiendi conatu. Ita que quum iam Nucelius aliquid ab ieciſſe aut reliquiſſe exiſtimaretur, comperi alio tempore occaſionem eum nactum ex improuiſo de eodem referendo perfeciſſe, vt approbaretur decernendo. In Ebnero ingenii maior erat manſuetudo & placidior quietiorq; mentis habitus: innocentiæ cura ſumma, & bonæ conſcientiæ cuſtodia. Vt horum duum quaſi copulationem ciuitati illi ad felicem ſtatum Deus largitus eſſe videri poſſit, temperamento quodam optimarum quidem naturarum, ſed quarum tamen vtraque aliquid haberet alterius diſſimile & ſuum, adminiſtrationem Reipublicæ fortunans. Spenglerus autem & vſu rerum, & quadam etiam inchoata doctrina excellebat, exploratæque & perſpecta multis difficilibus & arduis negotiis fide atque induſtria, cum inextincto ardore aſſerendi defendendique vera & recta tam ad Deum quam homines. Itaque nihil erat ei antiquius religionis ſinceræ & puræ inſtauratione. Quod autem

intelligeret & perpenderet animo suo, quantum esset situm ad spem omnis prosperitatis rerum diuinarum & humanarum, & salutarium in hac vita actionum, in puerili institutione; hortator & instigator fuit Senatui, vt peritos aliquos bonarum artium & literarum reperirent, qui operam darent suam ciuitati in pueritia erudienda, quibusque congregatis eximius quidam apud se ludus aperiretur. Quumque illi duo, quorum virtutem & sapientiam veluti adumbrando paullo ante indicauimus, sentirent idem, non magno negotio effectum fuit, vt Philippo Melanchthoni publice scriberetur, &, de eius sententia atque iudicio totam rem constituendi causſa, aduentus ipsius peteretur. Qui quum recusandum iter istud non putaret, & potestatem faciendi impetrasset a suo Principe, ita est illud huius anni autumno ingressus, & nos sumus vna profecti: eoque itinere Pabepergæ apud meum patrem habui hospitem Philippum Melanchthonem, quum in illo comitatu esset egregius generosæ stirpis & mentis iuuenis Melchior Fronspergius. Norimbergæ autem hoc actum est, vt proximo anno rediret illuc Philippus Melanchthon, & adduceret Eobanum Hessum: quum iam conuenisset, vt Micaelus Rotingus & ego ibidem illo tempore adessemus. Fuitque anno Chri-

Christi M. D. XXVI. nobis magistris inchoata publica doctrina bonarum literarum atque artium in ea vrbe, adiunctusque mox nobis Iohannes Schonerus Mathematicus. Laborabat Philippus vt socium haberemus operarum scholasticarum doctissimum virum Sigismundum Gelenium, gente Bohemum, qui ante annos aliquot ex Italia, vbi patrimonii totius pecuniam in necessarios studiorum sumtus impendisset, reuersus, aliquantisper vixerat apud Philippum, gratissimus huic hospes & nobis sodalis iucundissimus. Sed nescio quæ res illum Basileæ, quo tunc ad Frobenianos se contulerat, detinuerit: vbi & ad senectutem vxore ducta peruenit, & in literis bonis operam nauauit, vir honesto loco natus, & vtriusque linguæ peritissimus, & valde ingeniosus, & mirabiliter diligens.

XXXII. Hoc ipso anno & curarum nonnihil & molestiæ aliquid ex me percepit Philippus Melanchthon, cuius solicitudines de amicis essent ingentes, præsertim iis in rebus quarum vel minima ex parte autor ipse extitisset. Fuerat decreta legatio ad Carolum V. Imperatorem Romanum, qui in Hispania illo tempore coniugio operam dabat, quum duxisset Lusitaniæ Regis Emanuelis filiam. Ad hanc legationem obeundam quatuor dele-

delegerant, inter quos præcipuus erat generosus & nobilis Comes Albertus Mansfeldensis, apud quem quum facta aliquando de me a Philippo mentio fuisset, & ille secum aliquem esse vellet, qui loquendi scribendique Latine vsum quendam haberet, conditio mihi vna proficiscendi ita lata fuit. Quam quum iuuenis ætate & animo mores externorum cognoscendi cupido minime repudiandam putarem, obstitere mihi quædam ad quæ expedienda consilio opeque illius indigebam. Itaque nonnihil laboris mea causa tunc Philippus suscepit, & procedente, vt credebatur, itinere solicitudine de me affectus fuit maxima. Sed quum ventum fuisset Eslingam, vbi proceres Imperii congregati dare mandata & absoluere legationem debebant, conversa res fuit, & visum illo itinere ad id destinatis supersedendum, neque Cæsarem tunc missis legatis interpellandum, & quæ significari placuisset literis exponenda esse. Reversi igitur Norimbergam sub huius anni exitum, nonnihil, quemadmodum existimabatur, periculi vitauimus, & anxietate sua Philippus est liberatus. Sed sequens propter nostras ærumnas grauius illum afflixit, præsertim gaudentem indicio literarum, quibus certiorem eum feceram de consiliis actionibusque coniugii mei. Hanc enim lætitiam tristis-

tristissimus casus calamitatis a fratre meo acceptæ contaminauit. De quo, rebus illis iamdudum compositis, & quia renouare ingentem dolorem & sæuissima vulnera quasi refricare non lubet, plura dicenda non sunt. De Philippo Melanchthone hoc prædicare debeo, neque laboris vllius defatigatione retardatum, neque formidine vllorum deterritum, neque metuentem flagitationum offensiones; & hos illosque appellando, & itineribus sese defatigando, & consulendo, & deprecando, facile declarasse quanti nos faceret, & quid in amicitia fieri oporteret suo exemplo demonstrasse. Sed & hæc omittantur, ne exequi & texere narrationes de me, non de illo, videar. Non diu ante finem huius anni patrem ego amisi meum, annos natum LXXXI, magis aduersorum mole quam morbo oppressum: qui luctus Philippo Melanchthoni mecum communis fuit. Estque ille me tunc consolatus amantissime scripta epistola. Quæ, si videbitur & res feret, vna cum aliis aliquando proferetur in lucem.

XXXIII. Annus Christi M. D. XXVIII. pene obruit Philippum consultationibus & curis de maximis negotiis & rebus difficillimis atque grauissimis & præsente discrimine plenissimis. Quæ tempestas vt subito extiterat,

sic

sic statim abiit. Sparsa enim fama, & delato indicio conspirationis cuiusdam, ad eos vel coercendos, vel in ordinem redigendos, qui ausi fuissent ritus pristinos religionis nostræ immutando veluti secessionem quandam facere, Principum quorundam animi iracundia & dolore exarserunt. Sed illustrissimus atque præstantissimus pietate, virtute, sapientia & optimus Princeps Iohannes, Ernesti Filius, Friderici frater, Iohannis Friderici pater, (quæ ex hac domo præclarissima nomina nostra ætate pulcherrimis laudibus & summo splendore efflorue-runt) Dux Saxonum, vnus ex Septemuiris Imperii Romani, clementia atque mansuetudine operaque & studio suo, iam exorientis belli exitiale incendium restinxit, & Germaniam periculo, omnes metu liberauit, quum se eum præberet, cuius virtutem & integritatem & abstinentiam inimici quoque admirarentur & laudarent. Sed ista a nobis enarranda hoc loco non sunt. Eodem anno & laborioſæ & inuidioſæ res occupatum tenuerunt Philippum Melanchthonem. Quod enim multa inordinate & perperam in administratione rei ecclesiasticæ fierent, inspici iussit illustrissimus Princeps Dux Saxoniæ Iohannes statum Ecclesiarum ditionis suæ. Huic negotio & ex nobilitate quidam primarii,

marii, & cum aliis Philippus Melanchthon præfectus fuit. Plurima ibi comperta sunt, ad quæ respectu maturo opus, multa deprehensa vitia, quorum emendatio necessaria esset. Neque breuiter dici potest, quantum boni illa inspectionis opera diligentiaque effectum fuerit, quum & peccata aliquot annorum corrigerentur, & fulcirentur ruinæ multis in locis labefactarum Ecclesiarum, & prospiceretur in posterum incolumitati illarum. Complexus tunc est Philippus doctrinæ summam perspicua breuitate, & compendio memorabili, vt certo scirent docentes in Ecclesiis regionum illarum, quid sequi deberent, neu diuersa & dissentanea traderentur. Qui libellus maxime & vtilis per se, & tempore necessarius, non caruit obtrectatoribus variis; quorum aliqui requirerent neruos & vim contentionum, alii dicerent prodi causam, rursumque libertatem eripi & adduci in seruitutem homines. Nam autore & monitore Philippo aliquid tunc de disciplina & vita nonnihil dissoluta constitutum, & eo libello cum fidelissimis præceptionibus & salutari doctrina perscriptum fuerat. In quo si aduersarii tantum errassent, ferri poterat; sed coniunctos in caussa, non tam iniquos certe iudices neque censores immites esse oportuit. Verum euitas plerorumque talibus

tem-

temporibns perſpicitur, cognoſciturque quam in paucis & ſtudium veritatis vigeat, & ſententia certa ſit atque firma. Philippum quidem labaſcere, qui eadem placide exponeret quæ ab aliis vehementius diſputarentur, rati aduerſarii egerunt cum eo vt ad ſe tranſiret, & conditiones tulerunt defectionis, vt putarunt haud, reſpuendas, quum interea apud quosdam ſuorum quoque ipſe oneraretur ſuſpicionibus, & inuidia odioque premeretur, & hanc mercedem acciperet ſtudii, diligentiæ, laborum, fidei ſuæ.

XXXIV. Annus proximus Chriſti M.D.XXIX. quo matrem quoque amiſit migrantem ex hac vita, & ipſe mirifice exercuit Philippum Melanchthonem, propter actiones conuentus Spirenſis, quo cum illuſtriſſimo Principe Duce Saxonum Iohanne ille venerat. Erant res multiplicibus & variis modis exulceratæ, & vndique magis impendebant malorum incrementa, quam ſubleuationis aut proſperitatis ſpes oſtendebatur. Et tantis in miſeriis Reipublicæ, controuerſiisque ortis iis, quæ capitalia odia Ordinum quum iam excitauiſſent tum adhuc alerent, non tam hoc alienatis inimicisque animis diſſidentes agere videbantur, vt explicatis dubiis, & quaſi decidendo occaſione diſcordiarum remota, ſita diuulſæ ſeparatæque partes

tes benigna pacificaque compoſitione rurſum iungerentur, quam veluti dedita opera irritare ſeſe mutuo, & odio quietis diſſidia vetera confirmare, & his alia addere, ſuamque vrgere perniciem, perinde ac ſi impendens exitium auerti nollent. Quum autem his ſimilia aliis etiam fatalibus temporibus orbisque terrarum locis acciderint, fortaſſe liceat conſolatione hac, quamuis infirma & miſera vti: haud tibi ſoli, &, ferenda ſint illa patienter. Vtinam præteritis omiſſis, quamuis grauia & intolerabilia ea quibusdam eſſe videantur, non pudeat aduerſis doceri, & libeat cauere prouidereque, ne priores difficultates, vt leniſſime dicam, nouis aliis cumulentur. Quod adiuuante Filio Dei, pacis ſinceræ largitore, eſſet in procliui, ſi illius voluntati ſeruirent ſtudia hominum, & non indulgeret quisque animo ſuo. Neque me fugit, a nonnullis Philippi Melanchthonis anxias ſolicitæ mentis curas ſæpe eſſe reprehenſas & plane vituperatas, tanquam nimias & immodicas, & timiditate quadam deſperata neque Deo æterno gratas & hominibus odioſas ac contrarias, quæque ſuſceptis interdum rebus vtilibus officerent. At ille neque ignauo metu, neque deſperatione culpanda, quorundam vehementiam non probabat, ſed ipſe erat attentior atque circum-

cumſpectior, veramque conſiderationem adhibebat, & ne temeritatis iuſtum crimen vllo incepto ſubiretur, præſtandum eſſe iudicabat. Neque negabat, ſe intuentem præterita & contemplantem præſentia, non parum interdum vereri quid denique futurum eſſet, & ea cura ſolicitudineque angi animum ſuum fatebatur. Quod quibus vſu non veniret, eos non tam fortes quam nimis audaces, vel nullo ſenſu etiam humanitatis præditos, videri poſſe arbitrabatur. Vt autem fabula narrat quendam, qui cæcus eſſet, per ponticulum anguſtum ſine trepidatione tranſiiſſe, quum alii videntes & periculum intelligentes idem facere non poſſent; ſic profecto prudentis animi cogitatio ſemper in cautione timida eſt, quum nimia fiducia alii quamplurimi admodum ſæpe inſolentes ferocesque eſſe videantur. Ac memini me aliquando perturbatum Melanchthonem hortari, vt illas curas deponeret & rejiceret, ſecundum præceptum Dauidicum, in Deum æternum. At ille, ſi, inquit, nihil curarem, nunquam implorarem Deum: quum autem curas finiat religioſa pietas precibus, nimirum expers eſſe earum penitus illa nequit. Et curis igitur ad preces impellor, & precibus curas depello. Diligentia ſane & circumſpectio, cura, attentio Philippi Melanchthonis

thonis non probabatur æque omnibus, quum reperirentur, qui ad voluntatem ſenſumque aliorum iudicia ſermonesque ſuos perfacile inclinarent, & ideo grati acceptique eſſent iis quibus aſſentiebantur vel etiam aſſentabantur. Philippus vero qui in cupiditate benefaciendi quamplurimis, & commodis aliorum ſeruiendi, ad res ſuſcipiendas promtus paratusque eſſet, conſulendo autem agendoque quum perquam ſolicitus tum propter ſummam fidelitatem nimis etiam anxius de euentu, nonnunquam liber quoque tam monendo quam reprehendendo, cauere non poterat, quin aliquos offenderet, non etiam nullos a ſe plane alienaret.

XXXV. Non debui hoc loco omittere, quod compertum haberem, qui & ipſe tum ſalutandi Philippum Melanchthonem gratia Spiram veniſſem, accidiſſe optimo & elegantiſſimo atque doctiſſimo viro Simoni Grynæo. Tametſi me non fugiat, & ab ipſo Melanchthone eſſe eam narrationem inſertam libro cuidam ipſius, & ſciam de hac re quosdam ita locutos vt ficta, quosdam vt nugatoria. Mihi quidem minime ſuperſtitioſo, & ei tamen, qui nunc etiam numinis diuini vim & efficacitatem in terris aliquando cerni non dubitem, haud videtur illa extenuanda nedum deridenda. Quæ

sese ad hunc modum habet. Eytelbergæ Grynæus tunc, vbi ducta vxore consederat, optimarum disciplinarum & artium doctrinam profitebatur; quum autem cæteris in partibus philosophiæ non facile ei parem reperires, tum mathematicarum scientiarum erat peritissimus. Visum fuerat huic quoque Spiram vicinam venire, vt cum Philippo Melanchthone paullisper versaretur. Ibidem aderat & Faber Constantiensis, qui magna vehementia resistebat puriori ecclesiasticæ doctrinæ, & in hac vitiorum emendationi. Erat quædam Grynæo cum hoc necessitudo antiqua, qua fretus accedit hominem & cum eo primum aliis de rebus familiariter colloquitur, deinde & sermones infert de iis quæ erant in manibus. Monet hortaturque ne veritatis hostis esse pergat, neu sese non modo cum eam oppugnantibus coniungat, sed his etiam autorem ducemque præbeat. Disputat cum ipso libere, confidentius quoque aliquid dicit. Faber, qui valde offenderetur oratione tali, dissimulare tamen omnia, & iubere reuerti ad se Grynæum, vt accuratius de tanto negotio disputarent. Narrat amicis hoc Grynæus, qui dissuadent reditum ad Fabrum, & rem periculo non carere ostendunt. Erat Philippus vna cum suo grege collocatus in hospitio domunculæ sacerdotis cuius-

cuiusdam senis, nequaquam mali hominis. Ibi Grynæus & ipse fere semper esse consueuerat. Venit eodem, forte Grynæo absente, quidam eo habitu specieque eiusmodi, quæ dignitatem præ se ferret singularem, quæritque ex Philippo, vbi Grynæus sit? Modo, inquit Philippus, ille abiit. Vellem adesset, inquit hic, & scire se indicat parari ipsi insidias, in quas incidere nollet virum bonum & doctum; sic enim prædicari. Ita ille, quisquis fuit, nam cognosci id non potuit, discessit. Reuertitur paullo post Grynæus. Quem Philippus iubet redire Eytelbergam statim, neque diutius Spiræ commorari; ac miranti quæ esset festinationis tantæ caussa, narrat omnia in via, quum deduceret ipse eum ad Rhenum, quo loco illustrissimus Princeps Elector Ludouicus Palatinus peculiarem traiectum instituerat. Et non diu post affuit armata quædam manus, ad comprehendendum Grynæum missa. Neque quisquam aliter suspicari potuit, quam a Fabro ortum id, & tantum periculum Grynæo creatum fuisse. Natus hic in iugis montium vicinis Wirtenbergico agro, Viennæ ad Danubium bonarum artium studiis operam dederat. Quumque Eytelbergæ annis aliquot substitisset, contulit se postea Basileam, ibique multis egregiæ doctrinæ ope-

ribus editis, mortuus est anno Iesu Christi M. D. XLI. Commigrationis autem illius non minima caussa fuerat, cupiditas vtendi consuetudine Iohannis Oecolampadii, quem doctrina excellentem cœlestis & æternæ veritatis, id est, sacrarum literarum studiosissimum, simulque integritate vitæ atque morum honestate & suauitate ingenii venerandum ac amabilem cognouisset. Sed redeat ab hac digressiuncula ad institutum narratio nostra.

XXXVI. Dum illi, qui debuerant rebus laborantibus succurrere potissimum & remedia adhibere, vel omnino facere medicinam negligunt, vel ita facere aggrediuntur, vt malum indies redderetur insanabilius & asperius; non modo non sedata fuerunt iam commota, sed indies quasi tentationes novorum morborum accesserunt. Et metu iniuriarum atque violentiæ inceperunt tunc sibi aliquando diligentius prospicere illi, qui vt desertores veteris religionis accusabantur & damnabantur. Itaque capita, vt aiunt, illi conferre, & de coniunctione ac fœderibus ad necessariam defensionem colloqui. Fervebant in Heluetia ea tempestate contentiones, & ciuitas Argentoratensis ritus quosdam, iudicio & persuasione sua impios, abrogauerat, frementibus iis, quibus mutatio

tio illa detrimento futura esset. Atque Spirensi conuentu quum vrgerentur decreta priora valde dura, & leniora antiquarentur, coniuncti Principes quidam refragari manifesto non dubitarunt; testantes publice, talibus decretis, quæ fraudi esse possent progressionibus doctrinæ veritatis cœlestis, se non assentiri neque iis teneri velle. Horum primus fuit optimus & excellentissimus pietateque illustrissimus Princeps Iohannes Dux Saxonum. Adhæseruntque eis ciuitates potissimum duæ, Norimberga atque Reutlinga. Et fuit ista origo atque caussa nominis & cœtus eorum, qui sunt appellati *Protestantes*. Solenni autem iuris publici obseruatione res illa acta, & scripto exposita, & postea missis ad Imperatorem Romanum Carolum V. legatis, subiectissima significatione indicata est. Qui legati illum in Italia conuenerunt, peregeruntque apud ipsum mandata, aduentantem ad Imperatoris titulum coronationis augusto ritu adipiscendum & obtinendum a Pontifice Romano. Sane rediens mecum in memoriam earum rerum, quæ illis temporibus gestæ fuerunt, non possum non vehementer succensere quibusdam, qui ignari omnium quædam tunc dicta atque etiam scripta Philippi Melanchthonis nunc contra ipsum colligunt atque proferunt. Quo-

tamen nihil fere aliud consequuntur, quam vt inhumani vel potius impii odii sui nefariam acerbitatem patefaciant. Vt in mari procellis ventorum commoto fluctus multiplicantur, sic inceptiones inusitatorum augescebant. Et de dogmatibus disputationes quorundam erant alicubi horridiores,& consilia animosa atque festinata, actionesque præcipites: neque, quod Medici præcipiunt, cauebatur, ne indigesta adhuc atque cruda agitarentur impellendo. Quæ animaduertens & perpendens Philippus Melanchthon non poterat non pietatis prudentis attentione metuere, quorsum illa euasura essent. Itaque si quid suscipi mouerique cognouisset turbulente aut saltem audacter, valde perturbabatur, autoribusque irasci & aduersari illis solebat. Non rem interdum improbans, sed intempestiuam aut præposteram rationem reprehendens, eorum præsertim qui alacritate quadam nimia delinquerent, & exultando laberentur, & viam nondum tritam ingrediendo nonnusquam aberrarent. Quum ipse non modo veritatis sed simplicis huius & puræ esset amator, & quicquid abhorreret a doctrinæ directa & plana veluti via, recederetque a proprietate disertæ & perspicuæ tam expositionis quam explicationis, id magnopere fugeret. Fontem autem doctrinæ inte-

integræ & sinceræ in Ecclesia, vnde ea hauriretur vniuersa, præter sacras literas nullum aperiendum admittendumque quum & sciret & inprimis defenderet, doctrinam nihilominus quasi deduci, vt liquido flumine & sine ambagibus manaret, per consentientem antiquitatis piæ atque religiosæ explanationem, tanquam alueum, debere statuebat. Quum igitur intempestiuæ vel etiam importunæ novitatis quasi eruptiones, quæ nouorum quoque certaminum & distractionum maiorum caussæ essent, neutiquam illi placerent; tum fœderibus deuinctas coniunctiones,& armorum communitatem, implicari in negotium religionis & specie mirificum, & reipsa periculosum esse intelligens, curis grauissimis & maxima solicitudine afficiebatur de talium consiliorum atque actionum euentu. Non autem temporibus, personis, occasionibus, ipsisque adeo negotiis atque rebus perspectis, distinctis, exploratis, omnia quæ dicuntur confusa atque obscura esse necesse est. Qualia sunt partim obtrectantia bonis & maledica, partim scurrilia atque nugatoria, partim etiam calumniis & mendaciis referta scripta quorundam, quæ his temporibus evolant tanquam monedulæ aut sturni, & magno numero & stridore ingrato, &, si quid adhuc reliquum est boni, illud carpen-

do perimunt, & omnem ſpem fructuoſorum tractatuum præcidunt. Qui niſi reprimantur aut fugentur, quid futurum tandem eſſe exiſtimandum ſit, non libet dicere. Itaque hoc ipſum relinquo vnicuique cogitandum, & ad pertexendam narrationem redeo.

XXXVII. Hoc etiam anno illuſtriſſimus Princeps Philippus Landgrauius Haſſiæ pio conſilio & ſtudio laudabili perfecit, vt Marpurgi conuenirent primarii doctores Eccleſiarum Saxonicarum & Helueticarum & ſuarum. In quorum numero Philippus quoque Melanchthon fuit. Et eſt in illo congreſſu de capitibus præcipuis doctrinæ eccleſiaſticæ tractatum, ac de plerisque quidem plane conſenſum, de nullo autem tunc ſane iracunde litigatum, aut in controverſia alienatis odio animis diſceſſum. Celebrauit nominatim compellando eos, qui tunc conuenerunt, elegante epigrammate Euricius Cordus poſtea inter alia edito. Erant autem omnino ante oculos & inter manus multæ & magnæ difficultates illo tempore, & ærumnoſa Reſpublica, & Eccleſia afflicta. Nam & bellorum vndique furor inflammabatur, & de Religione creſcebant diſcordiæ, & multa loca fame peſtilentiaque erant infeſta. Quæ de aliorum narrationibus poterunt

poterunt ab iis, qui per ætatem non meminerunt, cognoſci. Quum autem Turcicus exercitus, qui ad oppugnationem vsque vrbis Auſtriacæ Viennæ proceſſerat, virtute præſidii, cui præfectus eſſet illuſtriſſimus & fortiſſimus Princeps Philippus Ruperti F. Philippi nepos, Palatinus, de conatu & ſpe potiendæ vrbis depulſus, in qua capienda omnes vires opesque ſuas fuerat expertus: Hic igitur quum fœde vaſtata Pannonia diſceſſiſſet, vt nihil amplius eo quidem tempore eſſet Germaniæ ab illo periculi: & iam antea tentatis omnibus, & fortuna vndique adverſante, Franciſcus Rex Gallorum, quamuis duris conditionibus, pacem cum Imperatore Carolo feciſſet, & inter hos potentiſſimos Chriſtiani nominis Principes reconciliata gratia videretur: ita igitur tandem primum in Italiam ad Pontificem Romanum veniendum & inde in Germaniam progrediendum Carolus ſtatuit, ſi quo modo præſens quod operæ pretium eſſet efficere, & laboranti Reipublicæ conturbatæque Eccleſiæ opem ferre poſſet. In qua parte & conſilia ipſius recta & veras rationes fuiſſe, multa vel plurima potius ſunt argumento. Sed obſtitit nimirum Caroli egregio propoſito & eximiæ voluntati, impediuitque progreſſionem ad ſalutem & dignitatem Reipublicæ, in fatalis mutationis

nis articulo, quum hominum pertinacia & effrenata sæculi licentia, tum tantæ iampridem factæ labes, & res vsque adeo vel conuulsæ vel certe inclinatæ, vt tanquam ruinosum ædificium sarciendo tegendoque instaurari non possent, sed siue neglectas concidere illas, seu demoliendo & extruendo denuo restitui in pristinum locum oporteret. In quo quidem quanto mora fit diuturnior, tanto vel grauior & horribilior ruina, vel demolitio & reædificatio laborioſior atque moleſtior eſt futura. Verum illa tum ſpe eoque animo in Germaniam venire voluiſſe Carolum Imp. cur dubitare aliquis velit, cauſſam non reperio.

XXXVIII. Indictus igitur conuentus fuit, qui ageretur Auguſtæ Vindelicorum anno Chriſti M. D. XXX. Quo tandem Carolus acceſſit Idib. Iunii, quum illic Ordines Imperii iamdudum præſto eſſent, inque iis primus illuſtriſſimus & optimus Princeps Iohannes Dux Saxonum & Septemuir, qui & ante & modo honoris cauſſa nominatus, ſimiliter vt deinceps nominetur, narrationis ſeries & res feret. In huius comitatu inter Theologos fuit Philippus Melanchthon. Acta res ſic eſt, vt plerique ſuſpicarentur, promiſſa quædam Pontifici Romano vt fierent, operam dari. Itaque vehementer obiurgatis illis

illis, qui tanquam deſertores veteris religionis pene ſeditionis inſimulabantur, & varia aggreſſione eorum animis tentatis, quod inter hos etiam ipſos quædam adhuc controuerſa eſſent, iuſſi ſunt omnes ſcriptis ſententiam ſuam demonſtrare. Tum informata quædam ſumma fuit doctrinæ vniuerſæ, quam profitebantur & ſequebantur Eccleſiæ Saxonicæ, & cum his concordantes. De qua, poſt diligentiſſimam conſiderationem, compoſitum eſt ſcriptum comprehendens capitibus aliquot expoſitam & explicatam doctrinam illam vniuerſam, opera ſtudioque & cura atque immenſo labore Philippi Melanchthonis. Quo ſcripto contentionibus diſputationum agitatæ quæſtiones variæ, quum ordine diſpoſitæ tum aſſertione ſimplice & aperta illuſtratæ definitæque ſunt. Vt ab hoc tempore certa & explicata ratio doctrinæ cœleſtis veritatis vno ſcripto expoſita cœperit extare. Quia autem de hac, conſentientibus Principibus & illorum conſortibus, ſuo nomine commemorari placuerat, quid & verum eſſe perſuaſum haberent, & in quibus tuendis defendendisque perſeuerandum eſſe ſtatuerent, *Confeſſionis* titulo ſcriptum illud Carolo Imperatori fuit oblatum. Maluerat hoc Philippus non Principum & eis adiunctorum nomine edi, ſed docentium,

qui

qui Theologi vocantur. Nam & magis decere istos talia differere, & autoritatem illam potentiæ quasi liberam reseruari, vtilius esse iudicabat. Sed obtineri id non potuit, quod actionem illam splendidiorem fore subscriptis istis nominibus existimaretur, & aliis quoque de caussis, vt hoc fieret, videretur melius. Propositæ autem fuerant complures descriptiones, quædam etiam admodum verbosæ. Nam qui in caussa hac coniungebantur, ii iusserant suos quique Theologos aliquid conscribere. Quæ legenda cognoscendaque erant Philippo. Qui non ille quidem de eorum, quæ asserebantur, veritate ambigebat, neque incerta multoque minus falsa defendi putabat: sed quanquam & sacrarum literarum autoritate & consensu religiosæ pietatis ab initio ea niti sciret, ne agendo tamen optima caussa in tanta rerum perturbatione, & hominum tam insolentia quam ferocia atque etiam arrogantia, læderetur, neu qua in parte negligentia aut confidentia peccaretur, solicite & anxie metuebat. Quumque onus totum ipsi impositum esset & ab eo sustineretur, cura laudatissima afficiebatur, ne quid committeretur, quo & sua ad Deum conscientia vulnerari, & bona ad homines violari existimatio, & Reipublicæ pernicies incitari videretur. Ipse ego inter tales

tales cogitationes non modo suspirantem sed profundentem lacrymas conspexi, & pietatis atque prudentiæ quum iustissimas querelas, tum grauissimos sapientissimosque sermones illius audiui.

XXXIX. Hæc quibusdam securioribus displicebant, & Martino Luthero indicata inflatius, quandam epistolam expresserunt, qua increpari timiditatem Philippi, vt iactabant, ille non dubitaret. Eamque ad inuidiam ipsius circumtulerunt, quum magis laudationem illa quam vituperationem Philippi contineat. Sed nescio quo pacto huius viri dicta & facta omnia perpetuo, quasi signum quoddam, proposita fuerunt, ad quod dirigeret veluti sagittas calumniarum & obtrectationum leuitatis improbitas. In arduis autem & non carentibus præsente discrimine negotiis, circumspectionem atque etiam timorem qui culpat, ei nimirum improbatur præceptum veteris poëtæ Græci censentis: deliberationes sæpe esse repetendas; iubentisque consultare bis & ter perpendentes ea, quæ in mentem ipsis venerint, subiecta memorabilis sententiæ verissima ratione: quod damnorum esse maximorum autores soleant præcipites, & qui impetu quodam vehementiæ efferantur. De quo nos quidem quasi dimicare

care disputando non volumus. Atque vtinam festinatione proteruitatis nostra quoque ætate non confirmata aliquoties esset præcepti illius contemti aut refutati admonitio, vel non saltem deinceps accepto detrimento, quam præclara hæc & salutaris sit, intelligatur. Non grauabatur Philippus quoscunque accedere, & de rebus illis tantis quid sentirent cognoscere. Non etiam verebatur cum aduersariis colloqui. Quæ, quum fierent ab eo optimo animo, neque nocerent causſæ, ac potius valde prodessent, non tamen effugerunt criminatioes etiam amicorum, parum recte de his existimantium, vel ardore quodam cupiditatum suarum, vel minus perspectæ rei indiligente consideratione. Quinetiam si qua ad aliquos Philippus Melanchthon scripsisset liberius minusque acerbe & accusatorie de iis negotiis, quæ tum disceptabantur, ea conquiri atque proferri ad inuidiam illius. Ac fuere circumlatæ literæ ad legatum Venetum scriptæ, quæ in Senatu Venetiis nec non Romæ recitatæ fuisse dicerentur. Sed omnia ista fortiter contemsit Philippus Melanchthon, acquiescens in recta bonaque conscientia, & nequaquam inflectens consilia actionesque suas ad aliorum sententiam ac voluntatem, sed ad veritatem solam constantissime dirigens. Vnum erat

erat quod pene omnibus reclamantibus ille non intermittebat suadere, non modo adstipulatore sed etiam autore ipso Luthero. Nimirum, Episcopi si concederent libertatem & vsum puræ doctrinæ cœlestis veritatis, secundum expositionem Confessionis editæ, ne recusaretur atque denegaretur restitutio ordinariæ potestatis seu administrationis suæ quibusque diœcesis. Quod quidem quale esset, quum cæco, vt dicitur, apparere deberet, tamen varie & mirabiliter exagitatum fuit. Audiui ipse quosdam aliquando, quos & morte sublatos, & tali in mentione non putaui nominandos, sed eos audiui quum me illi non prouidissent, de hoc ipso capite potissimum accusantes Philippum inhumanissime, quum vnus ex illis diceret: si esset ingente pecunia conductus a Romanensi factione, vt ipsorum statum tueretur, se non videre qua meliore alia ipsisque vtiliore ratione causſam, quam ista, agere posset. Neque Philippum suæ partis sed aduersariorum patronum habendum esse, & quidem præcipuum atque singularem. His sine verecundia proferebantur etiam & atrociora & magis contumelioſa quædam, quorum magnopere postea pœnituit & puduit plerosque. Philippus autem Melanchthon & coram interdum hac de lenitate remissioneque appel-

lari,& quid de eo homines loquerentur certior fieri literis. Verum nihilominus permanere in ſententia,& tenere curſum bene inſtitutum, neque mutare curationis modum, tanquam medicus peritus, dum conſtaret ratio illius, quamuis non efficeretur ſtatim quod aliqui optarent & cuperent. Neque ipſe laborare de nugis quibusdam, neque ſeruire voluntati ſibi aliquid quærentium, aut etiam aſſentari ad arbitriumque eorum ſeſe & nutum accommodare. Sed vrgere neceſſaria & ea, quibus æterni Dei veneratio inſtauraretur, ad ſalutem omnium mortalium,& relinquere cuncta quibus turbarum aut belli cauſſa dari videretur. Atque ipſis aduerſariorum capitibus eum tunc confeſſionem extorſiſſe conſtat: veram eſſe ſententiam, quod eſt fundamentum doctrinæ Chriſtianorum vniverſæ; quod nullo alio humano opere, nullo merito, nullo denique pacto, acquiratur & contingat reconciliatio gratiæ cum Deo alienatis & ſpes certa ſalutis ac vitæ æternæ, niſi fide tantum quæ habeatur Filio Dei Patris æterni λόγῳ σωαϊδίῳ, & qua credentes freti ſint atque nitantur.

XL. Exortus eſt paullo poſt ex turba illa, quæ vel per contumaciam nollet, vel propter obſcuritatem caliginis errorum non poſſet aſpicere lucem eminentem clariſſimæ veri-

veritatis, quidam qui ſe nominaret Cochlæum, de patriæ appellatione, in qua eſt *Cochleæ* ſignificatio quales graduum in ædificiis ſunt. Vicus autem ille eſt in arenis Noricis. Qui quod cuperet videri eruditus, actiones, vt ipſe ſcilicet exiſtimauit, accuſationis grauis & rei capitalis inſtituit atque perſcripſit ad Imperatorem Carolum, quibus ridicule *Philippicarum* titulum fecit. Eas & malitia improbitatis & ineptiarum leuitate refertas, non puto ab aliis negotiis tantum vacui temporis Imperatori, vel etiam in otio quoque eam voluntatem fuiſſe, vt legeret & nugis iſtis operam daret, quæ ſane iam inter tales delirationes plurimas prorſus euanuerunt, neque vſpiam fere comparent. Sed in his tamen quum alia atrociter objiciuntur Philippo tanquam autori Confeſſionis, tum ad Pontificis Romani legatum acceſſio & ſermones cum eo habiti humiles & abiecti. Atque nuper adeo alter quidam, qui neſcio cuius linguæ formæque nomine Staphylum ſe vocat, (Græcum enim illud eſſe non vult) & a Philippo Melanchthone inprimis adiutus, ad honoresque & commoda productus, vt alii complures, qui parem gratiam meritis ipſius retulerunt, quum in Pruſſia, quo a Philippo Melanchthone commendatus illuſtriſſimo Principi Alberto venerat,

tantam dignitatem tantasque opes non adipiſceretur, quantas illuc contendens ſpe ſibi deſponderat, Principem ſimul eum reliquit, ſimul a cauſſa deſciuit, cum Philippo Melanchthone quoque ſimultatem quandam exercens offenſionis priuatæ, quam nunc indicare non eſt viſum. Hic igitur, vt ab autore Confeſſionis illius Philippo Melanchthone, tanquam fonte, multos & varios riuos manaſſe ſectarum pernicioſarum in Eccleſia perhibet, mirifico quodam & ioculatorio illo quidem ſcripto, ſed ita impuro ac potius ſpurco, itaque calumniis & mendaciis conflato, vt quamuis neque dolere contra ſe iſtiusmodi, neque pro ſe edi gaudere quisquam debeat aut poſſit, rabies tamen iſta animadverſione ſeuera digna eſſe videatur. Quod quidem totum tale eſt, vt non pertineat prorſus ad Philippum Melanchthonem. Nam ſubſcriptio Confeſſionis huius nunc etiam in medio eſt eorum, qui autores ipſius dici haberique voluerunt. Eorumque aliqui ipſi adhuc ſuperſtites, & cæterorum ſucceſſores atque poſteritas, illius autoritatis perſcriptionem agnoſcunt & tuentur. Itaque ipſi tantum in componendo ſtudium induſtriamque, & exarando operam ac manum Philippi Melanchthonis adhibuerunt & vſurparunt, rem ipſam & negotium proprium eſſe & ſuo ipſo-

ipſorum periculo ſuſcipi gerique voluerunt. Qui profecto accuſantur, non Philippus Melanchthon, reprehenſione & inſectatione ſcriptum iſtud culpantium. Et hi fortaſſe aliquando temeritatem petulantiæ iſtius refutari coercerique ſtudebunt. De iis vero, quæ vel minus caute vel parum fortiter egiſſe Philippus Melanchthon a ſuis & aduerſariis dictus eſt, concedatur ſane erraſſe eum. Fuit enim certe homo. Hominem autem natum labi atque peccare, naturæ ipſius neceſſitate contineri demonſtratur. Neque mihi propoſitum eſt laudationem hoc libello Philippi Melanchthonis & tanquam encomium pertexere; neque ego illum, cuius pietatem, virtutem, doctrinam, eruditionem ſuſpicio, facio tamen, vt de adoleſcente Comicus ſeruulus ait, Deum. Sint ſane & hoc in genere quædam peccata ipſius: & vt promiſcua gratificatione & meritis erga dignos atque indignos, & facilitate, lenitate, manſuetudine, humanitate ſua deliquerit, ſic nimia quoque fuerit & infinita conſideratio, ſolicitudo, circumſpectio, metus illius. Minus tamen hæc omnia Reipublicæ damni dediſſe, immo plus vtilitatis attuliſſe deprehendetur, quam aliorum audacem confidentiam & animi vehementis ſubitos impetus & orationis libertatem. Vt taceam copiam effu-

sam atque profluentem, tam temere cogitatorum, quam male & indecore cum plurimorum exitiosa offensione pronunciatorum, vel etiam effutiendo prolatorum. De his igitur satis.

XLI. Philippi Melanchthonis illo tempore studium diligentiaque & fides, seruiit & tributa est explicationi disertæ & simplici ac planæ æternæ cœlestisque veritatis. Et quoniam non sunt illa commenta noua turbulentæ vanitatis, sed relata in expositionem ordinatam atque distinctam & præsentibus temporibus ac rebus accommodatam, Prophetarum Apostolorumque, & qui illorum vestigia secuti sunt docendo in Ecclesia Christi, oracula atque consentientis perpetuo sanæ & integræ doctrinæ testimonia: manebit profecto huius scripti diuinum opus, donec in terris colligetur cœtus Christianus, quod vsque ad extremum diem mundi futurum esse religiosa pietas nouit. Prolatum fuit & recitatum coram Imp. Carolo responsum quoddam, quo refelleretur assertio Confessionis illius. Cuius exemplum vt communicaretur iis, quorum sententiam confutare conaretur, quantumuis supplice Ducis ipsius Saxonum Iohannis Principis Electoris & consentientum petitione, impetrari non potuit. Attentione tamen quorundam diligentium,

tum, præcipuis tam capitibus quam argumentis exceptis ac notatis, Confessionis postea *Apologiam* Philippus ipse scripsit, quum explicans quædam copiosius, tum aduersarios pertinaciter insolentes vehementius vrgens. Quæ quum deinde ederentur frequentius, operam dedit Philippus vt alicubi expositio esset dilucidior & plenior. Nam præclare dicitur: multa diem monere, & posterioribus cogitationibus priores fieri meliores. Nihil tamen aliter factum, neque vllum mutatum dogma, neque momenta rerum conuersa sunt. De quo ne deesset materia scilicet serendi rixas, quidam quæ ipsis non tam in mentem, qua deficerentur, quam animum, qui quiescere non posset, & buccam, vt dicitur, venerunt, ausi fuerunt efferre atque euomere. Quorum futilitas & quasi sordes tantæ sunt, vt præterire eas aversando & vitare declinando omnes puræ doctrinæ amantes debeant. Sed reducatur narratio paullulum ad superiora, quo certius cognoscatur quid illo tempore actum, cuius nunc quoque temporis mentio sæpe fieri solet, & quo negotium religionis crebro tractatum nititur fere vniuersum; & quia Philippi Melanchthonis diligentiæ, studio, operæ, quam tunc rebus communibus nauauit, a nonnullis per calumnias malitiose est obtrectatum. XLII.

XLII. Placuerat, quemadmodum ostensum est, cognosci præsente Carolo Imperatore controuersiam de Religione. Librum igitur obtulerunt, qui Protestantes nominabantur, comprehendentem summam doctrinæ ecclesiasticæ apud sese, de quo supra diximus. Huic aduersarii responderunt verboso scripto. Eius quum frustra peteretur editio, & nullo modo obtineri posset exemplum, res eo vergere videbatur, vt infectis omnibus discederetur vtrinque. Quod quia & turpe & non expers periculi creditum, consilium captum est deliberationis de toto negotio per paucos. Tunc igitur ex vtraque parte lecti fuere septem viri, eisque illa est consultatio commissa. Postquam inchoata consideratio fuit eorum, quæ Protestantes assererent, satis bene res initio procedere. Nihil aduersarii quoque, tanquam a capitibus Christianæ fidei abhorrens, notare. Fidei efficacitatem iustitiæ tribui: remissionis peccatorum & vitæ æternæ nullum esse meritum humanorum operum: implorationem sanctorum hominum, qui mortem in terris obiissent, seu inuocationem, Scripturæ sacræ neque præceptum habere neque testimonium: quæ Missa vocatur, eam non perhibendam esse sacrificium pro viuis & mortuis: itemque alia quædam his similia nequa-

quaquam damnare. Progrediente autem consideratione, septem capita potissimum descripta propositaque sunt, de quibus si fieri posset partes concordarent. Hæc fuere ea, quæ iis verbis, quibus proposita esse cognouimus, putaui recensenda. 1. De vtraque specie. 2. De Missa. 3. De coniugio sacerdotum. 4. De votis Monachorum. 5. De potestate & iurisdictione ecclesiastica siue Episcoporum. 6. De bonis Monasteriorum. 7. De Confessione. In his aqua, vt dicitur, hæsit. Quumque nulla spes consensionis ostenderetur, quamuis conditiones ferret, vt sua opinio erat, commodas pars vtraque; tentatis omnibus, tandem, quod inter paucos citius rectiusque conueniri posse crederetur, numerum deliberantium placuit minui, & pro septem tres in consilium illud adhiberi. In quo, cæteris suorum remotis, Philippus Melanchthon remansit. Insidiose hoc institutum ab aduersariis suspicantur multi, quibus cupiditas pacis in Philippo, & animus placidus a contentionibusque alienus non esset ignotus. Itaque callide ii solum Philippum retineri studuisse existimabantur, quo facilius retinerentur ea, quæ nolebant amittere. Sane tum Philippus Melanchthon in tam magno periculosoque negotio solus relictus, de omnibus non modo

cogitare accuratius, sed quærere etiam disputareque liberius, nec non argumenta afferre, cur hoc aut illud aduersariis flagitantibus concedi deberet, quo magis differendo veritas & eluceret & confirmaretur. Hoc est interpretatione maleuolorum in eam partem detortum, vt de Philippo Melanchthone quum opinio conciperetur, tum spargeretur fama ea, quam paullo ante indicauimus, innocentissimo illo prorsus, id quod exitus declarauit. Sed quum nullis machinis effici posset vt res componeretur, ita tandem fuit discessum vt potuit, non vt fuit expetitum. Atque hæc fuerunt istius fere anni negotia & res, quibus interfuit & præfuit Philippus Melanchthon.

XLIII. Annus autem Christi M.D.XXXI. cuidam de Rege Ferdinando, quem designari Cæsarem Imperator Carolus voluerat, controuersiæ, consilia actionesque adiunxit fœderum, inter eos, qui propter dissidium in doctrina ecclesiastica aduersarios multos se habere cernerent, & tam ab insidiis quam violentia oppressionem formidare cogerentur. De quibus relatum quidem fuit ad Theologos quoque. Sed præcipua occupatio in his Philippi Melanchthonis nulla: cuius omne studium omnisque cura tribueretur doctrinæ laboribus. Quod tamen & ipse

ipse de istis rebus vel cognosceret vel etiam interrogaretur ab aliquibus, fiebat vt magnis & grauibus interdum curis perturbaretur; præsertim quum edito decreto Augustano & verbis asperiore & sententiis pene minace, suspensi multorum animi essent, & expectatio, spes, cupiditas, metus miscerentur. Accidit autem vt quasi pacificatoriam quandam personam quidam suam interponerent, & in hoc solicite incumberent, vt reperiretur via vel ad certam pacem vel saltem ad firmas aliquas inducias, vt in Germania quantulocunque sane tempore esset tranquillitas. Ad quas actiones animus voluntasque Imperatoris Caroli ideo erat propensior, quod compertum ille habebat, expedita esse arma Turcica & magnos exercitus contractos, qui pergentes iam Pannoniæ appropinquarent, ipso gentis illius Imperatore, quem Magnum Turcam vocant, copias adducente. Accedebant motus in Heluetia, qui & ipsi, quorsum euasuri essent, omnes de Republica solicitos magnopere vereri cogebant. In quibus Philippi Melanchthonis anxietas, dicendum enim verum est, maxima erat & cognoscebatur. Sed & turbæ in Heluetia celeriter, post vnum aut alterum conflictum, sedatæ fuerunt. Et inducia anno Christi M.D.XXXII. præclaræ factæ in vrbe Norimberga,

berga, & auxiliis communibus Imperator Carolus adiutus, apparatus magnitudine & fama nominis sui potentissimum hostem auertit. Quem recipientem se Imperator, non modo fortis & qui nullo terrore commoueretur, sed prouidus etiam atque sapiens, persequendum, eo præsertim anni tempore, non putauit.

XLIV. Magnam etiam tristitiam attulit Philippo, & animum ipsius vehementer afflixit illustrissimi atque optimi & præstantissimi Principis Iohannis Ducis Saxoniæ mors, quam ille anno hoc obiit senex, placide & omnino feliciter, migrans ex hac calamitosa atque caduca vita in æternam ac beatam, Idibus Augusti. Sed hunc luctum nouæ etiam curæ auxerunt. Quum enim Imperator Carolus inducias, de quibus diximus, fieri passus esset, ad id vsque tempus quo Oecumenica Synodus congregaretur, quod semestre fore ostenderant, profectus in Italiam ea de re cum Clemente Pontifice Romano ita studiose & seuere quoque egerat, vt Pontifex, quamuis putaretur nullo modo rem procedere velle, mitteret tamen legatos declarantes suam de Synodo sententiam & promtam voluntatem. Quorum vnus ad illustrissimum Principem Iohannem Fridericum, qui patri Iohanni successerat, Vinariam

am, sedem domus illius in Duringia, venit. Susceptæ deinde fuerunt deliberationes & Theologorum quoque exquisita sententia. Philippus sane Melanchthon simulari a Pontificiis omnia, & hoc agi, vt conditionibus intolerabilibus ferendis deterrerent a voluntate veniendi ad Synodum Ordines illos autores scripti Augustani, non habebat exploratum neque persuasum. Itaque simplice animo & vera consideratione id censuit, quo illis plus pene concedebatur quam peterent. Nam neque indici a Pontifice Romano Synodi conventum improbabat, neque eum in illa præsidem recusabat. Quod vero postulabatur: vt iam tum se stare decretis Synodi velle promitterent vniuersi; id nullo modo admittebat. Quod & accusationes & defensiones & sententias liberas oportere esse diceret. De euentu autem, antequam disceptatio & cognitio inciperetur, paciscí, præposterum esse, neque fieri hoc oportere. Neque omnino formam eam iudicii esse, obligatis iam partibus ad probandum id, quod quale futurum esset ignoraretur. Neque sponsionibus forensibus & ciuilibus compromissis exemplum sine euidente & pernicioso errore transferri ad has dijudicationes. In qua sententia semper permansit. Quum essent qui, neque vt indiceret Pontifex Synodum, neque vt in ea præ-

præsideret, concedendum esse arbitrarentur. Nam & iudicandi iure concesso, potentiam principatus illius, quæ tantopere oppugnaretur, stabiliri, & præsidendi dignitate prærogari autoritati illius. Sed neque hæc Philippum Melanchthonem fugiebant, &, res si ad legitimam cognitionem & incorruptum iudicium, vel qualemcunque etiam non simulatam atque fictam disceptationem deduceretur, prospiciebat, necesse esse, vt antequam vllæ actiones inciperentur, nedum sententia lis dirimeretur, talia explicarentur atque definirentur. Sed res de Synodo tum facilis fuit, quam cogi Pontifex nollet, Imperator Carolus non posset cogere. Itaque iste quoque annus inter consultationes non nimis contentiosas abiit.

XLV. His etiam tribus annis continuis conspecti Cometæ fuerunt. De quibus multa ad amicos Philippus scripsit, suas cum eis rationes communicans & explorans sententias ipsorum. Quum autem anno Christi M. D. XXXI. Cometes ex eorum genere, qui Pogoniæ vocantur, apparuisset in plaga solis occidentis, conspectus est vel idem vel alter similis ei proximo anno mane in orientis solis parte. Et anno XXXIII. tota nocte vnus fulsit ad stellas propinquas Septentrionibus. Quo loco cerni desiit. Hic annus pesti-

pestilens fuit vrbi Norimbergæ; & eodem, quod Eobanus Hessus Erphordiam se recepisset, schola Norica, quam vt suum opus labefactari nollet, nonnihil exercuit animum Philippi Melanchthonis. Etsi magis nos solicitum eum habebamus, quibus illuc se conferendi ipse autor & suasor fuisset. Exercuerunt & aliæ quædam curæ mistæ iustissima indignatione, quod literæ nescio quæ prolatæ sparsæque dicerentur, quibus turbas excitatum iri ingentes & pernicioſas intelligebat. Neque ille tam autoribus earum irascebatur, quam diuulgantibus talia temere & incaute. Negotia etiam Britannica considerationes ipsius tunc cœperunt commouere. Rex enim Insulæ illius, cum quo nupta esset Caroli Imperatoris matertera, de altero coniugio consilia inibat; siue tunc consuetudinis istius satietas fieri cœpit, seu aliæ eum causſæ ad diuortium hoc impulerunt. Quod inuito & refragante Pontifice Romano factum quum damnaretur, vsque adeo irritauit animum Regis, vt statim Romani Pontificis quasi iugum, sub quo ad id vsque tempus fuerat Britannia singularem in modum pressa, repelleret & penitus excuteret. Hocque ipso ad coniunctionem vel respectum saltem adigebatur eorum, qui Pontificis Romani potentiam dominationemque oppugnabant; quam-

quamuis aliquando se illis oppositurum esset, edito libro præferente nomen suum. Quod factum adeo gratum acceptumque Pontifici fuerat, vt Regi titulus nouus decerneretur, *Defensoris fidei.* Mittebantur igitur & legati, & literæ, & Philippo negotia illa significabantur, quem minime fugiebat fore vt ipse inprimis consuleretur, & magnitudinem rei periculaque contemplans animo, magnopere tum adeo solicitabatur. Accedebant rumores, qui spargebantur de conatibus Landgrafii Philippi restituendi in ditionem terræ suæ Vlricum Ducem Wirtenbergensem, ereptam ei ante annos quindecim. Sed hanc proxime sequens annus tunc inchoatam molitionem absoluit; reductusque Dux Wirtenbergensis, & postea de recuperatione illa bellogue toto transactum fuit, & ipse Philippus benigne inuitatus vt Tubingam veniret. Sed negotia eiusmodi in manibus habebantur illo tempore impendereque videbantur, vt illustrissimus Princeps, cui opera fidesque Philippi addicta erat, eum dimittendum nullo modo putaret. Accessit tamen illuc deinde, quum ego iam ibi studia bonarum artium docendo excolerem, & in Academia ordinanda, quæ sic satis perturbata erat, adiumento nobis fuit, hospes noster vno pene mense. Hoc etiam tempore Landgrafius,

fius, qui animaduerteret atque perpenderet, quantum mali detrimentique daretur doctrinæ veritatis dissidio Helueticarum & Saxonicarum Ecclesiarum, & litem illam cernens fieri indies maiorem, multaque a quibusdam admodum horride & insolenter, a quibusdam vehementer & immoderata quadam libertate quum dici tum scribi, operam studii pietate & fide pleni dedit, vt apud se conuenirent vtrinque vnus, & breuiter atque diserte comprehensam suæ partis sententiam exponerent. Idque negotium Philippo a suis datum fuit, qui ipsorum sententiæ ad Landgrafium esset nuncius. Neque quicquam tunc præterea actum est.

XLVI. Interea de coniugio, ducta iam altera vxore & priore repudiata, solicitus Rex Britanniæ vndique colligebat suffragia, quibus illud contra sententiam damnantium, inprimis Romani Pontificis, approbaretur. Et quia sperabatur hoc facturos facile & libenter Saxonicos, dominationis Pontificiæ inimicos, remittebatur indies aliquid de sæuitia; quam ad illud vsque tempus, pariter cum Gallia, crudeliter exercuerant in eos, qui, Saxonicarum Ecclesiarum exemplo, non assentirentur Pontificiæ doctrinæ. Et Philippus Melanchthon literis nunciisque fiebat certior, aduentum suum in

Britanniam magnopere expeti, & futurum vt ab ipso Rege accerseretur. Orabantque amici, ne recusaret, neue grauaretur illud iter suscipere. A quo sane animus ipsius neutiquam abhorrebat. Rex autem Britanniæ, vt matrimonium nouum modo & iure bono videretur contractum, nihil non experiri, & refragantes omnes odisse, & hanc maxime ob caussam ad eos, quos ante fuerat insectatus, inclinare credebatur. Cuius voluntati repugnans inter alios Thomas Morus, vir doctrina atque dignitate præstans, & qui præsentis status mutationem fieri nollet, & cui nouitas coniugii displiceret, supplicio vltimo affectus est. Rex autem Galliæ, qui in Italia bellum gerere & occupare Mediolanum cuperet, societatem Principum Germanorum expetebat. Quumque conuenissent fœderis faciendi iterum gratia aliquot, eodem legatus Gallicus accessit. Non autem potuit verecunde peti coniunctio, sine excusatione crudelitatis suppliciorum, quibus plurimi in Gallia per summos cruciatus fuerant necati. Itaque tunc & in seditiosos quosdam suæ gentis animaduertisse Regem dictum est, & petitum vt de Religione diligenter re deliberata sic consentiretur, ne asserendis defendendisque non necessariis, aut etiam superuacaneis dubiisue, Respublica & Ecclesia amplius turbaretur. Petitum etiam fuit, vt mitterentur ex Germania aliqui viri docti & boni, qui de dogmatibus sententiam suæ partis exponerent. Fuerat autem quorundam studio effectum, vt Rex non alienus a Philippo Melanchthone videretur; cui & accurata explicatio rerum, quas tractandas ille suscipesset, & ab aduersariis sine acerbitate dissensio, valde placeret. Itaque non modo amici institere literis suis, vt in Galliam ad Regem proficisceretur, sed hoc etiam obtinuerunt, vt ipse Rex, missis literis ad Philippum, clementissime eum inuitaret ad congressum suum. Eo anno pestilentiæ metu Wittenbergensis schola dissipata fuerat, & Philippus Melanchthon cum plerisque magistris doctrinæ concesserat in oppidum Duringiæ Ienam.

XLVII. In Gallia autem Regis animus perturbatus ira indignationeque nullum modum seruare neque facere finem suppliciorum. Et arrepti primum indicati conuictique tanquam conatuum seditiosorum, quod vno tempore passim libelli quidam Parisiis clanculum propositi & ad Regii quoque conclauis ianuam affixi fuissent. Huius igitur facinoris conscii statim complures comprehensi, & subiectis ignibus torrendo excruciati, ita demum viui combusti sunt. Sed indi-

cibus præmio propoſito, & conceſſa deferendi accuſandique licentia quibuslibet, plurimi etiam illius audaciæ nequaquam participes rei facti, & crimine defectionis ab Eccleſia, quod Lutheraniſmi nomine inferebatur, damnati & cremati fuerunt. Erant & pietate, & doctrinæ literarumque eruditione in illo Regno, dignitate etiam & honoribus præſtantes quidam viri, quibus crudelitas iſta immanis admodum diſplicebat & ingentem afferebat dolorem. Et hi Germanos, celebres eruditionis nomine in Gallia, beneuolentia fauoreque complectentes tuebantur atque protegebant, neque patiebantur eos ab iſta violentiæ feritate attingi. Inter quos excellebat benignitatis & omnino virtutis ſapientiæque fama domus Langæa, & in hac princeps Wilhelmus Bellaius, qui Galliam ſuæ ſapientiæ, fortitudinis, integritatis, fidei ope moriens deſtituit grauiſſime laborantem, & in ſæuiſſimo bello & aſperrima fortuna illius, anno Chriſti M. D. XLIII. Germanorum autem, de quibus egregia ingenii, doctrinæ, virtutis, ſapientiæ, pietatis eſſet exiſtimatio, princeps habebatur Iohannes Sturmius. Per occaſionem igitur illis de negotiis inter ipſos verba fieri, & conſilia rationesque iniri ac quæri, quibus tam grauiter laborantibus rebus ſubueniri poſſet. Perfectumque eſt diligen-

ligentia & ſtudio horum, vt apud ipſum Regem mentio fieret doctrinæ Saxonicæ, & Philippi quædam ſcripta coram eo legerentur: quorum dilucida expoſitione & diſputationibus placidis Regis voluntas ad clementiam conuerſa ferebatur, conſiderantis, & quousque eſſet ſuperſtitio progreſſa, & quibus in tenebris iacuiſſet obſcurata veritas cœleſtis, & quam tetri errores doctrinam diſciplinamque Eccleſiæ occupaſſent; verentis etiam fortaſſe, ne animaduerſionis iracundia inſontes cum ſontibus corriperet. Hoc quum Philippo Melanchthoni eſſet ſignificatum, amicis ſuadentibus atque hortantibus, literas ſcriptas mittit ad Epiſcopum Pariſienſem Iohannem Bellaium, quibus monet & orat: Animos Principum in Galliæ regno mitigari ſtudeat, autorque ſit, vt ratio ineatur, qua ſanari Eccleſia poſſit, quam indies magis magisque lacerari appareat. Abuſus quosdam eſſe reprehenſos, & nunc multos pios atque doctos veritatem quærere & doctrinæ genus purum, non praua cupiditate aliqua ſed ſtudio religionis. Atque eſſe ortas controuerſias de maximis rebus, quæ nulla armorum vi aut ſuppliciorum metu opprimi poſſe videantur. Non patrocinari ſe turbulentis & ſeditioſis, neque iis qui improbitate & malitia veritatem ſimplicis doctrinæ corrumpant,

quos fanaticos solebat vocare. Verum horum etiam furori sic maxime resisti posse, si extet certum doctrinæ genus, quo ambigentum animi confirmati nitantur. Ostendit, quantum momenti sit in Galliæ florentissimo regno, ad omnium bonorum animos tam erigendos quam dejiciendos. In eo si exemplum istud statuatur, vt non modo fanatici & seditiosi coerceantur, sed nulla prorsus admittatur emendatio ecclesiasticæ doctrinæ & errorum correctio, sique præsentia Ecclesiæ vitia summa vi defendantur, futurum esse vt vbique gentium magna de spe boni piique decidant. Addit: esse eas preces & vota ista, vt in periculo communi succurratur Ecclesiæ simul atque Reipublicæ non vnius nationis ac gentis, sed omnium in toto orbe terrarum religiosæ pietatis & tranquillitatis publicæ cupidorum. Multum profuisse constat has literas, & lenitam esse Regis iram, & de suppliciorum sæuitia nonnihil remissum. Inculcatum autem fuerat Regi, in Germania turbarum, motuum, seditionum, cædium, vastitatis, denique malorum omnium causam fuisse mutationem doctrinæ ecclesiasticæ; & falso pleraque coram eo narrata. Quamuis igitur minime ignoraret, ac potius perspicue videret, quid in doctrina & ritibus vsitatis non modo vitiorum

rum sed omnino scelerum hæreret; tamen a nouitate similia incommoda, vel parem potius infelicitatem, metuere existimabatur & eosdem euentus, quos persuasum hactenus habuisset de innouata doctrina ecclesiastica extitisse. Sed siue hoc seu aliud fuit, quo Rex Galliæ tunc ad clementiam se inclinauit, & eo adduci passus est, vt de rebus tantis cogitandum diligentius certiusque cognoscendum arbitraretur; primum in Germaniam missus aliis etiam de caussis Barnabas quidam Voræus, amicorum literas scriptas Philippo attulit, & cum eo locutus est de profectione ad Regem, pollicitusque non modo literas regias quibus accerseretur, sed quum obsides etiam, qui darentur, dum abesset, tum præsidia quibus deduceretur & reduceretur, vt vndique periculi metus esset amotus. Vrgebant rem amici, qui persuadere conarentur, in congressu colloquioque cum Rege Melanchthonis, non Galliæ solum sed pene orbis terrarum fortunam esse positam. Si illum præsentem vidissent, simul salutem suam cum aliorum omnium coniunctam affirmare se conspecturos. Si in illis fluctibus & sæuissimis tempestatibus audiissent aduentantem, portum & tutissimam stationem sibi ostensum iri. Quod si negligeret aut etiam contemneret postulata Regis, fore vt omnis spes, qua sustentati in

maximis periculis & præsenti discrimine fuissent, debilitata infringeretur, & simul ægre aliquantulum sopiti ignes rursum suscitarentur, & suppliciorum immanitas recrudesceret. Atque eum cogitare æquum esse censebant, non iam a se tantum rogari, sed ab omnibus hominibus; non ab iis, qui grauissima supplicia perpessi sint, neque qui eadem pertimescant, præsentiam eius exoptari, sed aduocari ipsum Dei Christique Iesu voce. Remoueret igitur ex oculis Cæsarea & Regia nomina. Non respiceret populorum coniunctionem aut alienationem, funestas flammas intueretur & fumantes rogos, in quibus innocentissimorum hominum corpora conflagrassent, & se plurimorum periculis, quibus immineret idem exitus, moueri sineret. Hæc & his similia quum Philippo & scriberentur & nunciarentur, & multiplice ille cura & varia consideratione afficiebatur atque perturbabatur. Difficile enim erat constituere, quid in tanta ac tali re fieri oporteret. Vel ea potius, quæ offerebantur, inexplicabiles habebant quæstiones & disputationes infinitas. Non eum respectus ad se aut suos, non longinquitas loci, non periculorum metus morabatur, quamuis hæc ab ipsius amantissimis præsentia demonstrarentur, ex quibus quidam insidias

sidias vitæ eius strui suspicabantur, & eum literis grauissime scriptis, vt caueret, admonebant. Verum quum nihil esset prius illi neque antiquius gloria Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, tot piorum bonorumque salute & incolumitate, tranquillitate Ecclesiæ tantis procellis infestæ; hac vna cura excruciabatur & in eo adhærebant cogitationes vniuersæ, quod dubitaret de consilio suscepti negotii, & quæ actiones futuræ huius essent non posset decernere, & de exitu felice plane desperaret. Neque ille, quid sibi conduceret, omnino laborabat, sed ne quid in tanta re imprudenter factum, turbarum mala asperiora redderet prouidens, mirifice solicitabatur animo suo. Veniebat ei in mentem, varias esse opiniones diuersorum in Gallia, & ea erat expertus, quæ causssam darent circumspectionis atque formidinis. Audiebat tanquam seditiosos esse eos damnatos, de quibus tam crudeliter supplicia sumsissent. Præterea quum intellexisset, Gallos hoc agere vt quædam discrepantium capitum in ecclesiastica doctrina controuersiæ tollerentur, hoc maxime timebat, ne minuta aliqua, & quæ sua sponte iam e manibus elaberentur, concedentes, retinere vellent ea, in quibus potissimum falsitas impietatis resideret. Quod videbat neque fieri debere, &, si tentaretur, plus secu-

turum mali quam boni. Quumque esset de Regis voluntate existimatio ipsius præclara, tam multis tantopere illam prædicantibus; quid ipse tamen Rex, vt maxime vellet atque cuperet, posset efficere, non sine caussa dubitabat. Itaque rescribens amicis hortabatur eos, darent operam vt Rex curaret maturandam Synodum, &, per quoscunque liceret, ad hoc impelli studerent animum ipsius. Tum enim communiter ineundæ rationis occasionem omnes habituros, qua Ecclesiæ afflictæ ferretur auxilium. Cætera consilia sibi significabat videri inutilia, quæ periculosa essent omnia. Hæc ad amicos perscribens, ipsis vt in re præsente deliberationem totam permittebat. Quod non tergiversandi ista caussa commemorarentur, sed vt ipsi statuerent, quibus nota Gallia esset, quid expediret. Quum in omnem euentum fauorem atque gratiam potentissimi Regis, caussæ conciliari posse optaret. Quod sperabat fore, veris & commodis sermonibus. Non enim ignorabat quanto odio vbique hæc laboraret, excitato aduersariorum fictis criminibus. Itaque si ipsi in eo perseverarent, vt existimarent suum aduentum profuturum & Galliæ & Ecclesiæ vniuersæ, pollicebatur se paratum promtumque fore ad suscipiendum iter istud, relatis quidem prius

prius omnibus ad illustrissimum Principem, qui haberet conductam operam suam. Itaque omnia fidei prudentiæque ipsorum committere. Quum autem Voræus & studiosius de Philippo ad Regem reuersus loqui, & prolixius promittere, & si accerseretur polliceri aduentum ipsius non dubitasset, ita a Regæ literæ sunt missæ: quibus collaudato studio ipsius, quod Rex ab eo adhiberi intellexisset in sedandis altercationibus inuectis in ecclesiasticam doctrinam, quoniam ipse se laborem itineris non grauatim susceperum esse ostendisset, quo ad Regem se conferret, coramque illo de concordia doctrinarum cum selectis aliquot Gallicæ nationis viris doctis differeret; ita petebatur, vt literis regiis tanquam fidei publicæ obsidibus fretus, quamprimum adueniret, neque se abduci vllius persuasione sineret a tam pio sanctoque instituto. Nullam enim rem vnquam maiore Regem cura, studio, solicitudine animi complectendam duxisse, quam vt laceratæ dissensionibus Ecclesiæ detrimenta sarcirentur, & pulcerrima politia illius instauraretur. Denique affirmabatur modis omnibus, aduentum Philippi futurum esse Regi gratissimum.

XLVIII. His literis acceptis omnino erat animus Philippo in Galliam proficisci, neque

que expectationem & ſpem de ſe conceptam amicorum fruſtrari, neque operam ſuam, quæ nauari poſſe crederetur, ſubtrahere afflictæ Eccleſiæ. Sed vt veniam hanc ei illuſtriſſimus Princeps ipſius daret, & poteſtatem cum bona gratia in Galliam ſe illo tempore conferendi faceret, impetrari non potuit. Quum alia autem obſtare viſa ſunt, tum non minimo impedimento fuit bellum, quod Rex Galliæ aduerſus Imperatorem Carolum non meditari aut moliri, ſed iam mouere & gerere ferebatur. Cognitum quoque eſt, maleuolorum quorundam obtrectatione optimi & præſtantiſſimi Principis animum ad quandam hæſitationem fuiſſe perductum, vt nonnihil Philippo diffideret. Itaque denegans & plane præcidens petenti Philippo copiam ſibi clementiſſime fieri in Galliam veniendi, literas miſit ad eum verboſe & ſeuere ſcriptas. In quibus hoc potiſſimum mouit Philippum & a conſilio itineris Gallici deterruit, quod oſtendebatur verendum eſſe, ne iſta profectione non modo nihil fructuoſe perficeretur, ſed ne detrimenta maiora acciperentur, & cauſſæ darentur, quibus de cauſſis publica Germaniæ quies turbaretur, neue adeo ipſius Principis quædam negotia redderentur difficiliora. Hoc omnino periculum in ſe recipere ille nolu-

noluit. Itaque cum magno dolore multorum, non etiam nullorum reprehenſione, cum Voræo, quemadmodum Rex voluerat, non eſt profectus. Et ei literas dedit abeunti, quibus inprimis Regi gratulabatur cupiditatem ſanandæ Eccleſiæ, non violentis remediis ſed vera ratione & Rege Chriſtianiſſimo, quo ipſe titulo ornaretur, digna: qui in diſſenſionibus illis ita ſtuderet vtriusque partis impetus moderari, vt explicata doctrina Chriſtiana atque perpurgata, ſimul gloriæ Chriſti, & dignitati eccleſiaſtici ordinis, & tranquillitati publicæ conſuleretur. Orabatque, vt non deſiſteret Rex in hanc curam cogitationemque incumbere, neque aſperioribus ſcriptis aut iudiciis quorundam ſineret ſe adduci, vt etiam res bonas & Eccleſiæ vtiles deleri pateretur. Se quidem, literis Regiis acceptis quantum potuiſſet conatum eſſe atque contendiſſe, vt ſtatim ad Regem accurreret. Quod ſibi nihil eſſet optatius, quam vt pro ſua tenuitate aliquid opis afferre poſſet Eccleſiæ, quodque in optimam ſpem veniſſet, poſtquam cognouiſſet eam eſſe pietatem ac moderationem Regis, vt in communem gloriæ Chriſti conſultum cuperet. Nullo vero ſe modo potuiſſe tunc iter ingredi, propter maximas difficultates, quibus adhuc eſſet implicatus. Quas poſſet Rex cognoſcere

scere ex Voræo, cui essent notæ. Quamuis autem moram quandam illæ afferrent, tamen non esse animum suum ab illa profectione auersum. Quod & ipsum planius & copiosius expositurum Voræum esse confideret. Atque ita Voræus dimissus Regem inuenit in belli Italici apparatu, cui postea ista res curæ non fuit. Estque deinde etiam atrocius suppliciorum sæuitia vexatum regnum Galliæ. Itaque, vt fit, alii de tota re aliter sentire & loqui. Quidam credere, si Philippus adueniset, multa Regi indicari demonstrarique potuisse, quorum ignorantia caussam daret, vt & ipse iuberet iratus abhorrentia ab ingenii ipsius naturæque bonitate, & ad ea, quæ gererentur inhumanius, conniueret: plurimum habituram momenti existimationem de Philippo singularem: futuram liberam de magnis & paruis disputationem: neque offensuram Regem in asserenda veritate libertatem orationis, ac constantiam potius eum magnopere delectaturam fuisse, qui iam inciperet intelligere aliquid. Nisi enim ita esset, neglecturum fuisse, vt antea, rem totam, & iracundiæ suæ indulgentem vindicaturum offensiones. Plurimum situm in eo, vt audiatur interrogatio, & responsio statim subjiciatur. Valde autem cauendum fuisse, ne Rex, cui propemodum certo promissus esset adventus

ventus Philippi, ex illa frustratione, vel opinionem conciperet leuitatis, vel suspicionem hauriret diffidentiæ, atque ita de integro & a caussa alienior, & in aduersantes sententiæ suæ asperior immitiorque redderetur. Alii incerto dubioque euentu, in tam magna gravique re, periculum faciendum fuisse in Rege illo caussæ conciliando, & secretum a cæteris cum ipso colloquium instituendum, nullo modo censebant. Erant etiam qui Philippo soli committendam talem actionem potuisse tuto negarent. Experiebaturque iniquitatem ille fortunæ fatalem, vt minus recte iudicaretur a nonnullis de consilio hoc ipsius. Neque deerant qui omnia in partem deteriorem interpretarentur. In qua veluti palæstra miseriæ totam vitam illius luctatam esse scimus. Sed prudentes & callidi aliud actum quæsitumque existimabant, quum in ipso belli, quod aduersum Cæsarem Carolum gereretur apparatu maximo, susceptas institutasque tales tractationes cernerent; & plerique inuidiam in Principem, cui seruiret Philippi opera, deriuare vel minima ex parte oportere non putabant. Sic igitur illa profectio tunc repressa postea euanuit, & sunt in Republica & Ecclesia ea secuta, quæ, nisi quatenus ad Philippum Melanchthonem aut temporum negotiorumque, quæ hac narratione

tione continuanda putauimus, seriem proprie pertinent, a me iam non exponentur. Sane Philippus Melanchthon inuitus retentus est, & aliquantisper remanendi in Saxonia animum habuit hæsitantem. Amicique eius non sine cura fuere, ne quid ei tristius accideret. Verum ista quasi vulnera clementissima humanitate illustrissimi & optimi Principis ipsius & celeriter & facile fuerunt sanata. Non duxi silentio prætereundum, quo horum negotiorum & difficultatem & fortasse pericula significata esse credi posse videatur. Nam quo tempore propter pestilentiæ contagionem Wittenberga plerique scholastici, tam magistri quam discipuli, vrbem relinquere decreuerant, paucis ante horum discessum diebus flamma de cœlo decidit ante ædes Philippi Melanchthonis, & templi tectum visa est lambere. Quum quidem alias etiam significationes notasse eum constet, quibus ab earum rerum, quæ secutæ fuerunt, molestia curisque & periculis quoque præmonitum se fuisse intellexerit & recordando sæpe commemorarit. Atque istæ fere de Gallico itinere curæ molestiæque tunc exhibitæ Philippo fuere. Nihilo autem minus ambire visus est deinde Rex Galliæ societatem Saxonicorum, & cum ipsius quoque legatis de capitibus controuersis eccle-

clesiasticæ doctrinæ est disputatum. Sed Britannici magis assidui fuerunt in hac parte, & cum Philippo inprimis libere collocuti. Inter quos Nicolai Heti & eruditio & humanitas ab ipso laudabatur. Ab his etiam est vel commoditate verborum persuasum Philippo, vel precando expressum, vt Regi Britanniæ quasi dicatum epistola præposita librum ex suis vnum peculiari compellatione mitteret. Redierunt mox anno Christi M. D. XXXVI. Wittenbergam Magistri doctrinæ publicæ & discipuli, quos discessisse metu pestilentiæ diximus. Et Philippus hypochondriacis doloribus est conflictatus, quos vsu herbæ chamæleontis mitigauit, & scimus efficacitatem illius remedii eum prædicasse. Dum autem cum Britannicis legatis acriter de capitibus doctrinæ ecclesiasticæ disputatur, & eo res deducitur vt de plerisque conueniat, deque diuortio tantum dissensio reliqua est; id accidit de coniuge altera a Rege ducta, quod omnium animos valde perturbauit, & legati circiter mensem Iunium Wittenberga discesserunt, & solicitudine Britannici itineris Philippum liberarunt. Nam hæc illis flagitantibus vna cum aliis fuerat ei destinata.

XLIX. Sunt tamen aliæ tunc deliberationes actionesque institutæ atque susceptæ

Theologicorum colloquiorum, quorum eventus quum solicitum habuisset inprimis Philippum, ipsius moderatione & diligentia effectum est, vt ille satis esset felix. Atque ita quod diu conceptum animo iter habuerat tandem est ingressus, vt & in patriam & Tubingam ad nos veniret. Vbi, quemadmodum dictum est, habuimus eum aliquantisper gratissimum hospitem, & autorem consiliorum ordinandi res scholasticas & doctrinam publicam constituendi in illa Academia. Estque eum illustrissimus Princeps Vlricus clementissime complexus. Deque eius sententia accersendum curauit Iohannem Brentium e salinis Sueuicis, cuius annua opera Ecclesia & schola salutari & bona vsa est. Habuit comitem eo itinere clarissimum virum Philosophiæ & inprimis Medicinæ artis professione Iacobum Milichium, cuius ingenium rectum, sincerum iudicium, in consiliis prudentiam ac fidem, animum firmum, voluntatem perpetuam atque constantem, in optimarum artium disciplinarumque studiis colendis, &tuendis amicitiis, perspectam maximi faciebat, vt par erat, Philippus Melanchthon, & Milichium diligebat inprimis. Hic Friburgum Brisgoicum patriam habuit, natus loco perquam honesto. Quumque consedisset Wittenbergæ, quemadmodum

dum & alii externi complures, post multorum annorum actam ibi vitam, summa cum laude & præcipua plurimorum vtilitate, anno Christi M. D. LIX. maximo omnium luctu mortuus est, agens annum ætatis LIX. Hæc excursio, cuius & valetudo & cupiditas videndi amicos caussa fuisset, varios rumusculos commouit, vel a maleuolentia inuidiæ & odii, vel temeraria leuitate vanitatis ortos. Aliqui literis dissipauerant, ita discessisse Philippum Wittenberga, vt dissidentem a Luthero & reliquis, neque reuersurum illuc. Alii, quamuis rediret, coniunctionem firmam non fore augurabantur, quod nimis philosophica esset doctrina Philippi de actionibus virtutis & officiis. Hæc ventilabantur ab imperitis bonarum artium, & quibusdam qui in sola vehementia, & abhorrente ab humanitate ac moderatione genere tam docendi quam viuendi, spem existimationis alicuius collocabant. Sed Philippus Melanchthon cursum tanquam nauigii directum tenuit, vt studia optimarum disciplinarum & artium excoleret quibuscunque modis & rationibus posset, vtque veritatis cœlestis doctrinam simplicem docendo traderet, & eam spinosis superiorum temporum disputationibus expurgatam, propria & pura oratione explicaret. Quod agentem, & huius generis

ris pulcherrima & præclariſſima opera elaborantem, quum religioſæ pietatis & honeſtatis amantes omnes, tum Lutherus ipſe, non modo diligere ſed ſuſpicere etiam ac colere. Neque ſine eius conſilio quicquam inſtituere quod momenti aliquid haberet, & ad cuncta informanda, componenda, explicanda, opera ipſius vti. Qua ſe non poſſe carere ingenue fatebantur, & gratis animis agnoſcebant maxima merita ipſius; neque inhumaniſſimo & pernicioſo iſto, qui paullo poſt frequentari cœpit, more, in quo viribus ipſi deficerentur, eo excellere alios ægre ferebant, neque metuebant ne alterius ſplendor exiſtimationem eorum deminueret. Quorum iudicio & ſua ante omnia conſcientia contentus Philippus, vsque adeo nihil curabat cæterorum maledicos ſermones, vt penitus contemneret, in quo & conſtantiſſime perſeuerauit.

L. Eo anno orbis ſolis & lunæ obſcuratus fuit, & de ſcalis lapſus Philippus eam partem dorſi, quæ nominatur os ſacrum, grauiter afflixit, & aliquot diebus pertulit magnos cruciatus. Sed nihil poſtea ſenſit ex eo caſu incommodi aut mali. Hoc eodem Chriſti anno obiit mortem D. Eraſmus Roterodamus, ætatis ſuæ LXX, Baſileæ, quo ſe Friburgo receperat. Hunc toto vitæ ſuæ tempore coluit atque veneratus eſt Philippus Melan-

Melanchthon: neque de eo prædicari a me quicquam vel neceſſe eſt vel etiam decet, omnibus vbique locorum atque gentium noto ac celebri, & cuius ſcriptorum monumenta paſſim extant habenturque in manibus, cuiusque totum curriculum in ſpacio doctrinæ liberalis & piorum ſtudiorum deſudauit & elaborauit ad vtilitatem publicam omnium, quibus doctrinæ & veritas & eruditio cordi eſt. His temporibus Academiæ Tubingenſi nonnihil difficultatis allatum eſt cuiusdam offenſione, cuius eſſet munus, Romani Pontificis autoritate, faciendi collegiis profitentium facultatem optimarum artium & diſciplinarum poteſtatem, vt meritis conferrent honores & decernerent titulos dignitatum ſcholaſticarum. Hoc enim facere ille pertinaciter recuſabat, & oppido exceſſerat, neque patiebatur ſe mitigari, quamuis ad eum præcipui ex Academia miſſi & egiſſent negotium cum reuerentia perſonæ ipſius debita humaniſſime, & nihil proficientes teſtati de iure Academiæ ita diſceſſiſſent. Prætendebatur autem in negando mutatio ſtatus eccleſiaſtici, & ſcholaſtici, quem, niſi Romani Pontificis permiſſione & venia, approbare adiuuareque ſibi nequaquam liceret. Habet nomen munus iſtud Cancellarii, & eſt Tubingæ mandatum Præpoſito adminiſtrationi illo

in oppido Ecclesiæ, benignitate Pontificis Romani singulari. In consultationem igitur res venire, & non respondere idem cuncti: placuitque tunc sententiam ac consilium Philippi Melanchthonis exquirere, ad quem literæ publicæ datæ fuerunt. Is quum aliorum quoque iudicia exploraſſet, suum plane & perspicue explicuit scripto, ad Academiam cum aliorum etiam literis missio. Cuius scripti summam si demonstrassem, neque ab instituta hoc narratione abhorrens visum iri, neque cognitionem infructuosam habiturum esse, duxi. Affirmatur autem illo tanquam minime dubium: Ecclesiam Dei habentem scholas, & conuentus seu collegia docentium & discentium, posse & debere testimonia dare auditoribus. Testari id consuetudinem literarum publicarum, quas *formatas* vocarent, & aliquas Synodos decreviſſe, ne sine his reciperentur vlli sacerdotes. Deum autem ipsum velle frequentioribus Ecclesiis adiunctas esse scholas literarum & doctrinæ, quæ Ecclesiæ necessaria est, sicut fuerint olim scholæ Alexandriæ, Antiochiæ, Cæsareæ, vnde mitterentur huc & illuc doctores cum testimoniis. Quapropter posse nunc quoque Ecclesiam, habentem adiunctam piam scholam, dare testimonia, hoc est, renunciare Doctores Theologiæ. Hæc, inquit,

quit, sententia de Theologis non dubia. Neque hic disputandum est de priuilegiis aut iure annulorum aureorum. Nam hi quum mittantur ad Euangelii præconium, scire debent sibi crucem & ærumnas perpetiendas, non opes & voluptates quærendas esse. Et promotiones tales Theologicæ fuerunt Patrum, Prophetarum & Apostolorum temporibus, & postea florentibus Ecclesiis Alexandriæ, Antiochiæ, Cæsareæ, longe ante quam Romani Imperatores aut Pontifices aliquid sanxerunt de Academiis. De reliquis tribus ordinibus, profitentium aliarum artium facultatem, responsio ipsius hæc fere complectebatur: scire se quæ essent nunc opiniones vsitatæ, nec esse eum, qui cuperet mutari præsentes politias, nec cum iis, qui istam politiæ formam defenderent, rixari velle. Consuetudinem esse annorum fortasse trecentorum, confirmari statum scholarum publicarum autoritate Pontificia & Imperatoria, & ferri priuilegia. Fauere se moribus præsentibus honestis; sed arbitrari, ne Parisiensem quidem Academiam initio Pontificum Imperatorumque Romanorum decretis fundatam esse, & quæri posse hac in parte & de Bononiensi & de Pisana. Atque se esse ea in sententia & ita statuere: vnamquamque Rempublicam, & eum penes quem

ſumma rerum eſt, poſſe conſtituere collegium docentium & diſcentium vtilia ac bona. Immo hoc facere eos debere, quorum fortunæ & opes magnæ ſunt. Et hoc, inquit, collegium optimo iure poteſt dare teſtimonium auditoribus. Neque ſunt gradus dignitatis ſcholaſticæ aliud, niſi iſta teſtimonia. Quod ſi forte diſputetur de lege generali, eam iam, ait, latam eſſe: vt approbati a ſuis collegiis exerceant artes. Quemadmodum Imperatoris Valentiniani pulcherrima lex teſtetur, Codice de Profeſſoribus. Sed ex Iurisconſultis & Medicis fortaſſe hac communi collegii autoritate contenti eſſe aliqui non volent. Neque ego cum his rixari, inquit, velim: in Philoſophicis tamen cæteris ſtudiis conſeruari poſſent gradus decernendis titulis, ſi tamen adeſſent omnium artium Profeſſores & Magiſtri. Ridiculum enim fortaſſe ſit, ibi creare Magiſtros artium liberalium, vbi ne tradantur quidem præcipuæ artes. Certe ſcholam Atticam conſtat dediſſe teſtimonia diu quoque ante, quam ab Imperatoribus ſanciendo hoc confirmaretur. His ingenue & libere, more ſuo, addit: cauſſam quoque conſiderari oportere, qua de cauſſa iam tales confirmationes denegentur. Non velle enim aliquos propagari veram atque puram Euangelii Chriſti Ieſu doctri-

ctrinam, quæ neceſſaria ſit Eccleſiæ; & ideo certis perſonis & congregationibus illos eſſe inimicos. Qui iſtam tamen doctrinam amplexi ſunt, principes viri & ciuitates, facere debent officium ſuum & conſtituere collegia honeſta docentium diſcentiumque bonas literas & artes. Poſſe autem collegia teſtimonia dare, iam oſtenſum eſt, & dari ipſa par eſt, vel vt eruditi & docti emineant, vel ne imperiti per audaciam aliis imponant, & ita quum adoleſcentia perperam inſtituendo corrumpatur, tum dogmata falſa ſerantur, & tam Eccleſiæ quam Reipublicæ quies & tranquillitas turbetur. Quum Iulianus, inquit, edicto prohiberet admitti Chriſtianorum liberos in ſcholas publicas, Chriſtiani proprias ſcholas & peculiares diſcentium cœtus habere inſtituerunt. Nec eſt dicendum, non licuiſſe tunc Chriſtianis dare teſtimonia auditoribus ſuis. Immo creſcentibus tunc ſcholis & ſtudiis Chriſtianorum, plures homines doctrinam Euangelii admiſerunt, inuitati honeſtis ſtudiis & diſciplina Chriſtianorum. Eſtque credibile, libentius miſiſſe multos in ſcholas Chriſtianorum liberos ſuos, vbi eſſe mores honeſtiores & integriorem vitam cernerent. Hæc fere ſunt, quæ Philippus Melanchthon, a Tubingenſibus conſultus, tunc reſpondit. Sed res iſta quadam veluti Iu-

ris via expedita fuit, vt Cancellario, qui ad præstandum officium & fungendum munere suo legitime requisitus, in defugiendo & recusando perseueraret, alius autoritate ordinaria sufficeretur, ne diutius huius quasi principatus curatione Academia destitueretur.

LI. Annus Christi M. D. XXXVII. deliberationes de Synodo renouauit, & attulit curas maximas Philippo. Placuerat enim Principibus conuenire ad audiendum legatum Imperatoris Caroli, qui dicebatur habere mandata de Synodo potissimum, in oppido sito in finibus Duringiæ & Hassiæ, quam Chalcidem & Vulcaniam Philippus solebat appellare, propter crebras officinas æris & ferri. Euocati sunt aliunde quoque Theologi, & adducti Wittenberga Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon. Graues caussæ perhibebantur fuisse, vt Theologi conuocarentur. Nam & de doctrinæ capitibus accuratius sententias conferri, & manifestius consentiri tandem oportere existimabatur. Decerni etiam & statui debere, si res ad Synodi cognitionem deduceretur, quæ capita doctrinæ ecclesiasticæ ita retinenda defendendaque essent, vt assertio illorum omnibus rebus humanis, tranquillitatique Reipublicæ, & fortunis aç vitæ in terris præponeretur. Itemque si vera

ra ratione & via in Synodo procederetur, quid ad instaurandam in Ecclesia concordiam, & pacis communis caussa, Pontifici Romano & Ecclesiasticæ potentiæ videretur esse concedendum. Sæpe autem boni, & quibus cordi erat religio, & amantes patriæ, questi haud obscure fuerant: tantas illas res non tam solicite & diligenter agi, quam magnitudo earum postularet. Sed ista tunc consilio optimo & maxime laudabili suscepta, partim inter agendum adhæserunt, partim admodum lentas habuerunt progressiones. Neque enim Pontifici de Synodo quicquam concedere, neque de doctrina exquisite differere consultum plurimis visum. Et non parum impeditæ tractationes illæ fuerunt graui pericolosoque morbo Lutheri: de cuius vita quum pene desperaretur, improbantibus & aduersantibus plerisque omnibus, iussit se illinc auehi Lutherus. Quod clarissimus vir Georgius Sturciades Erphordia accersitus, vt ipse mihi postea narrauit, quum non omnino improbaret, se illi itineris comitem adiunxit. Et nocte quæ discessus diem est secuta, melius habere Lutherus cœpit. Itaque illo conuentu neque accurate de doctrina disputatum est, & legato Imperatoris responsum datum, quo talis Synodus, tali ratione indicta, recusabatur. Iussi autem

Theo-

Theologi sunt aliquid componere de Pontificis Romani potestate. Quod a Philippo perscriptum fuit. Simul etiam recognosci placuit capita Augustanæ Confessionis, & explorari de illis sententias omnium & audiri: num quis quid requireret, aut aliquid improbans, dissentiret? Quum præclara esset consensio de vniuersis, ita ille est conuentus solutus. Petitum tunc fuit a Senatu vrbis Augustæ, vt Philippus ad se accederet, sed hoc multis grauibusque de caussis est denegatum.

LII. Dum autem bellis occupantur Reges, interea a consultationibus Synodicis nonnihil otii fuit: Philippum vero calumniarum & obtrectationum improbitas non desinebat exagitare. Qua etiam Principis contra eum indignationem pene commotam fuisse accepimus, instigantibus quibusdam & indoctis & leuibus hominibus, quibus semper patuerunt magis fores & aures potentum quam grauibus & bene institutis. Quod & antiquitas animaduertit ita se habere, quæ veteribus heroibus Ioue genitis, Libero & Herculi, in numerum etiam superstitione sua relatis Deorum, adiunxit comitatum ridiculum, Silenorum & Satyrorum Dionysiacam turbam, & Cercopum sodalitatem Herculanam. Neque quicquam reprehensioni in Phi-

Philippo aut culpæ expositum erat, quam fuga altercationum & rixarum, studiumque & cura tranquillitatis & quietis. Qui nisi de necessariis non putaret contendendum, posse autem arbitraretur conniueri ad nonnulla, multa ferri debere. Quum interea non cessaret operam dare & anniti, vt doctrina esset perspicua, & ambigua explicarentur, & confusa disponerentur, & mirabilia quædam ad communem intelligentiam proprietate expositionis simplicis ac planæ reuocarentur. Id quibus displicebat, ii modo hoc modo illud, quod notarent, arripere, & inuidiose deferre ad alios; vt sæpe Philippus, priusquam animaduertisset, odio oneraretur, & interdum vocaretur in periculum quoque. Inter alia & hoc crimen sustinendum ei fuit, quod literæ ad ipsum ex Italia mitterentur ab iis, quos caussæ esse inimicos constaret. Quod suspicionsum esse isti volebant, & caussam afferre dubitandi de voluntate & fide Philippi. Miserat autem paullo ante literas ei Iacobus Sadoletus, cui post Petrum Bembum tribuebatur sapientiæ & eruditionis laus præcipua. Hæc epistola scripta eleganter & forma sermonis Latini exquisita, a Philippo ostendebatur omnibus, tantum aberat vt occulte aliquid & astute ab ipso fieret. Atque cogitabat respondere diligenter & accurate, & eadem,

eadem, vt dicitur, mensura aliquid illi vicissim emetiri. Sed occupatus negotiis, & curis oppressus infinitis, facere hoc intermisit. Atque haud scio an etiam penitus omiserit. Verum criminationes illæ, accusatorum & futilitate & manifesta prauitate, facile euanuerunt, adeo vt qui illas admiserant, eos mox puderet procliuitatis istius. Epistolæ Iacobi Sadoleti, cuius mentio facta est, putaui hoc loco exemplum inserendum, quod & verbis eleganter & sententiis præclare esse illa scripta mihi videretur. Atque isto studui quasi emblemate nostram narrationem reddi spectatiorem, quum aliis aliorum scriptis, quibus plenior & ornatior fieri hæc potuisset, certo consilio variandam eam esse non duxerim. Epistolæ autem isti, inscriptæ nominatim Philippo Melanchthoni, adscripta erant hæc: *Amantissimus tui Iacobus Sadoletus, Cardinalis Carpentoractensis. Carpentoracti quum essem, quo in loco statutum habere me credens domicilium perpetuum vitæ fortunarumque mearum omnium, repente tamen inde decedere, & Romam redire iussu Pontificis Maximi sum coactus. Sed quum ibi essem, accidebat mihi ferme quotidie, vt aliquid nancisserer de scriptis tuis, quæ ego & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam stili atque orationis, libentissime legere solebam. Id*

Id quum sæpius facerem, magnaque in legendo delectatione afficerer, sensi paullatim mihi incendi animum ad quandam beneuolentiam nominis tui, vsque eo quidem, vt miro quodam studio tecum ineundæ amicitiæ tenerer. Etsi enim nonnulla erat inter nos opinionum dissensio, ea tamen animorum dissidium apud ingenue eruditos minime faciebat. Iamque erat mihi deliberatum scribere ad te, primasque aperire amicitiæ fores; quum subito, vt dicere cœperam, ad vrbem accersitus, & per caussam appropinquantis Concilii, earumque rerum tractandarum & consultandarum, quas mox in consilio agi oporteret, e mea Ecclesia, vbi decennio manseram, euocatus, Pontificis huius optimi & prudentissimi iudicio tacito, inscius atque imprudens, in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus sum. Hæc res effecit, vt meæ voluntati in dandis ad te literis obsequerer tardius. Non enim dici potest, vt ex illa pristina, pacata atque felice vita, in hanc tumultuosam & plenam strepitus traductus sum, quæ solicitudines, quam multæ & graues curæ, eædemque permolestæ, me excepeint. Quod quidem mihi necesse fuit accidere. Hanc enim ego vitam & prius iudicio fugeram, & alteram illam item iudicio fueram persecutus. Quarum nunc vtraque quum mihi contra animi sententiam ceciderit, nec lætari

lætari posſum habere me quod noluiſſem, & neceſſario doleo amiſiſſe quod diligebam. Sed quoniam Deo parendum eſt de nobis ſic ſtatuenti, dabimus nos operam, quantum per eius auxilium opemque licebit, vt honorem hunc recte integreque adminiſtremus. Quod autem noſtræ inſtitutæ eſt ſcriptionis, non eſt paſſus meus, mi Philippe, in te animus diutius hoc a me officium differri, quin vt primum e turba & moleſtiis animus emergere cœperat, literas ad te darem, & pignus meæ propenſæ in te voluntatis & inuitamentum in me tuæ: ſi id, quod ego in te amando meæ exiſtimationi de tuis eximiis virtutibus tribuo, tu humanitati tuæ, vt me pari beneuolentia complectaris, eſſe dandum duxeris. Quod quidem te rogo vti facias, neque me ſitientem familiaritatis tuæ deſeras. Non enim ego is ſum, qui, vt quisque a nobis opinione diſſentit, ſtatim eum odio habeam. Arrogantis eſt hoc & elati animi, non manſueti & comis, quas me potius ad partes natura mea vocat. Sed faueo ingeniis, virtutes hominum colo, ſtudia literarum diligo. In quibus tu, vt doctrinæ & ingenii, ſic amoris mei non mediocres partes poßides: nec dubito quin tu eadem mente & voluntate ſis præditus. Iſto enim animo, qui tam liberaliter artibus ingenuis expolitus ſit, nihil agreſte neque aſperum ineſſe poteſt. Quo etiam maiorem mihi

mihi ſpem virtus tua facit, meas hoc apud te ponderis literas habituras, vt qui locorum ſpaciis disiuncti ſumus, animis tamen & beneuolentia coniungamur. Quod ego maxime aueo expetoque, tibique prorſus perſuaſum cupio, in numero eorum, qui te diligunt & florentem cupiunt, (quorum magna eſt profecto, pro tui nominis celebritate, multitudo) me principem locum appetere, nihilque vehementius cupere, quam dari mihi locum probandi tibi reipſa & declarandi amoris erga te mei. In quo tu ſi anſam mihi aliquam occaſionemue meæ explendæ huiuſce cupiditatis præbueris, magno me abs te beneficio affectum arbitrabor. Omnia quidem, quæ tibi grata eſſe ſenſero, tanto ſtudio ac diligentia exequar, vt nec fide quisquam exequi maiore nec beneuolentia poſſit. Sicut & mea natura officii inprimis colens, & ſuſceptus iam erga te amor, & perpetuum meum erga docto viros ſtudium poſtulat. Vale, mi doctiſſime Melanchthon, & nos tui amantiſſimos dilige. Romæ XV. Calend. Iulii, M. D. XXXVII. Vixit Sadoletus annis totis ſeptuaginta, poſt hanc miſſam epiſtolam decem. Fuerat autem is, qui vna cum Petro Bembo primus conſideraſſet attentius, & accuratius vſurparat, non modo elegantis & ſpecioſæ, ſed diſertæ atque dilucidæ & illuſtris orationis rationem & compoſitionem.

Quæ non ſolum cuiusque linguæ propriis & ſignificantibus verbis apta, ſed ſententiis quoque non vulgaribus neque leuibus concinna eſſe debet; ſimul vt prudenter cogitata, quæ exponuntur, ſimul vt eorum, qui audiunt aut legunt, intelligentiæ, & ad penetrandum in animos ipſorum operam datam eſſe appareat. Ad quæ quum ſingulorum verborum electio, tum iunctorum comprehenſio requiritur talis, vt & conceptorum animo quaſi membra eloquendo diſtinguantur, & totum veluti corpus illorum conueniente ambitu exprimatur. Atque hoc ſtudio multorum paſſim animi ad imitationem & ſimiles conatus excitati inuitatique, & bonarum literarum atque artium excercitationes frequentari magna aſſiduitate cœptæ ſunt. Quumque & Philippo Melanchthoni idem probaretur, & eſſe præclara res iſta percolendaque modis omnibus videretur, eſſetque ipſe minime duro aut ruſtico agreſtique ingenio; ab eruditis & doctis & humanitate præditis benevolentia & fauore eum eſſe comprehenſum, non eſt mirandum, quum momenti plurimum ad amicitias coniugandas afferre nemo fere ignoret voluntatum ſtudiorumque ſimilitudinem. Sed a ſuſpicionum prauitate tuta eſſe, calumniarumque morſus vitare, integritas atque innocentia nunquam potuit.

Vt tunc acciderit Philippo Melanchthoni quod antea aliis, quos arrodere non dubitavit odii inuidiæque maleuolentia atque improbitas, & poſthac quoque bonis & quietis placidisque hominibus idem periculum eademque eſt fortuna ſubeunda. De quo ſatis, vel nimio etiam plus, quam argumentum poſtularet, non alieno tamen, vt opinor, loco neque intempeſtiue quum diſputatum ſit, redeamus ad rem.

LIII. Inter illa igitur quæ commemorauimus & de iſtis literis, quum alii rumores diſſipati fuerunt, tum fama ſparſa, non bene cum ſuis Philippo conuenire, Principesque quidam pertrahere eum in ſuas Academias ſtudioſe conati ſunt. Sed ipſe a propoſito publicæ vtilitati conſulendi, & ſeruiendi aliorum non ſuis commodis, ſeſe nihil omnium deducere paſſus eſt. Conſpectus eſt & hoc anno cometes in plaga aquilonari, de quo eruditas epiſtolas Philippus ad amicos, quos ſciebat ſtudio philoſophico delectari, miſit. Eodem anno in Britanniam quidam Saxonici profecti fuerunt, qui de capitibus doctrinæ eccleſiaſticæ exponerent doctis Britanniæ ſententiam ſuam, & alias etiam fortaſſe res agerent. Quumque diſputationes eſſent initio commodæ, poſtea digreſſis Saxonicis, contraria decreta propoſita ſunt,

quum tamen duceret Rex desponsam sibi sororem Ducis Cliuensis, quam paullo post repudiauit. Ferebatur autem rursum expeti aduentus Philippi a Britannis, & significabant quidam, nulla alia re ad moderationem & æquitatem flecti posse animum Regis, nisi si legatio mitteretur, quæ non mediocrem haberet splendorem, & Philippus vna aduenire. Sed ista in vnum aut alterum annum excurrerunt, quibus commota negotia diversa tam sacra quam profana exagitarunt vehementer Philippum Melanchthonem. Romanenses nescio quid, quasi emendationem & correctionem vitiorum in statu suo meditarentur, conscribere. Quod etsi nequaquam diuulgari placuerat, & in manus tamen multorum peruenit, & sermonibus scriptisque atque adeo picturarum contumeliis est vexatum. Quum & notarentnr in illo scripto ea, quæ manifestam haberent turpitudinem, (vt non tam, si remouerentur, laus speranda, quam, esse tam longo tempore lata impune atque licenter vsurpata, nefarii sceleris crimen sustinendum videretur) & nugatoria quædam inculcarentur: quale erat, de quodam scholastico libello Erasmi Roterodami excutiendo de puerorum manibus. Principum autem quorundam conventus de Republica agebatur in vrbe Saxonica

nica Brunsuiga; in quo non temere a nonnullis metuebatur, ne quorundam priuatis cupiditatibus & emolumentis prætenderetur publicarum commoditatum & vtilitatum respectus. In Gallia autem animaduersionum sæuitia non desinebat corripere eos, qui vel transuersum, vt dicitur, vnguem a pristinis qualibuscunque obseruationibus discedere, & in doctrinam Ecclesiæ, quamuis optimo & pietatis religiosæ cupidissimo animo, inquirere auderent. Carolus etiam Imperator & Gallorum Rex Franciscus, pacificatoriam personam agente Papa Paulo, plane in gratiam secum rediisse credebantur. Neque cessabat Pontifex Romanus Synodicum congressum indicendo vrgere. Iam & belli Turcici sparsa fama plurimorum animis timorem iniecerat. In Saxonia autem & caussæ dabantur indies nouæ pernicioſarum turbarum, & odia vetera aliqui non patiebantur sedari, qui iidem quietis & otii inimici haud scio quo consilio, quaue sententia atque spe, armis decertando quam disceptando verbis dirimi controuersias malebant. Inter quæ doctrinæ ecclesiasticæ labes quoque inferri cœpit, quorundam vel curiosis vel ambitiosis disputationibus, qui in illa præceptiones & iussa legum proponi atque explicari, non solum non necessarium, sed plane superua-

caneum atque alienum esse contenderent. Suspicabantur nonnulli, in Philippum Melanchthonem ista potissimum strui & intorqueri. Sed eadem, vt veritatem cœlestis doctrinæ conuellentia, Martinus Lutherus & oratione & scriptis reprehendendo vehementissime oppugnauit, & grauissime confutauit, & autores eo adegit, vt inceptivalde eos pœniteret, vtque errorem confitendo ipsi priorem sententiam suam sine dissimulatione improbarent. Quo tempore, vt aliis omnibus, non tam priuatim aduersando refragandoue vlli, quam publice vera ac recta atque certa asserendo, & facere officium suum Philippus Melanchthon, neque de curriculo suo vspiam deflectere.

LIV. Anno autem Iesu Christi M.D. XXXVIII. quo gubernatio Academiæ, semestri æstiuo, vt mos consuetudoque fert, commissa fuit Philippo, quidam libellum edidit Wittenbergæ epigrammatum. In quibus quod putarentur esse, quibus fama aliquorum læderetur, irritati præcipui quidam censuerunt autorem comprehendendum. Sed is fuga salutem quæsiuit. Tunc igitur rursum facti inuidia in Philippum detorqueri. Aliqui ab ipso admonitum, aliqui ope necessariorum Philippi adiutum, euasisse aiebant. Hæc omnia aliis quibusdam criminibus cumulabantur, quorum erat caput, quod non arbitrio alieno certos quosdam homines odisset, & aspergeret conuiciis, vel etiam a suis ornari pateretur. Sane illa, de quibus tumultuatum adeo fuit, epigrammata ad nullius manifestam contumeliam, vel certe atrocem iniuriam, incorrupte & simpliciter iudicantibus visa sunt pertinere. Et quæ notabantur, ea carebant tam scelerum quam flagitiorum turpitudine. Autor tamen elapsus impudentissime mentiendo tam fœda atque impura postea scripta emisit, vt neque priorum veniam dandam ei, & quicquid accidisset, id lenius, quam nefaria ipsius vesania mereretur, omnes boni statuerent. Eodem hoc anno, & mea cupiditate impulsus, & aliis quoque de caussis, quæ indicandæ modo non sunt, profectus ego fui Wittenbergam, vt Philippum Melanchthonem potissimum conuenirem. Quo in itinere accidit, vt pedis malum, quod mihi iamdiu non solum molestum sed infestum quoque fuisset, & tunc videretur satis bene esse situm, quum vectatione iritatum, tum errore quodam curæ recrudesceret, vt metu malorum cruciatuum festinantius Wittenberga discedere cogerer, quam statueram ac volebam. Sum tamen paucis illis diebus, quibus ibi mansi, Philippi Melanchthonis & suauissima con-

suetudine vsus, & ipsius variis de rebus accurata oratione quum delectatus tum instructus. Reuertens ad meos habui comitem Philippo Melanchthoni carissimum iuuenem Matthæum Friderichum, gente Francum, patria Wurcepurgensem, quem *Irenæum* nos appellabamus. Atque is paullo post Tubingam ad nos venit, & Lipsiæ deinde nobiscum familiariter est versatus, quum iuris publici & legum cognitioni operam dandam & ciuilem prudentiam persequendam statuisset. Non videor vidisse quenquam pari ætate, vel ingenio acriore illustrioreque præditum, vel studio flagrantiori deditum, vel in quo maior esset industria cogitandis, elaborandis, agendis iis rebus, quibus animum intendisset. Memoria autem ea erat, quæ admirabili facilitate comprehenderet & summa fide retineret quiduis. Cum mentis autem tanta vi coniungebatur voluntas recta, & animus auersans falsa fucataque omnia & vera atque simplicia adamans. Vt hoc erepto non patria modo terra, sed exteræ quoque nationes, non leue damnum feciſſe videantur. Mortem autem obiit anno Christi Iesu M. D. LI. improuisa atque subita ruina, Spiræ, (quo excercendi artificii sui gratia se contulerat, quod ibi tum solennis consessus esset Imperatorii iudicii) quum clamoribus quibusdam

busdam excitatus trepide ad feneſtram proiectam, quales sunt veteres in illius vrbis ædificiis, accurrisset, & prospiciendo cupidius & inconsideratius, pondere suo antiqua tabulata quædam depressisset. Cum his enim illo præcipitato, ita grauiter afflictum caput fuit, vt sine facultate loquendi post paucos dies vitam amitteret; omnium, quibus notus fuerat, incredibili dolore, deplorantium & eius vicem, & factam talis amici, necessarii, sodalis iacturam. Atque ita fere decurrit iste annus.

LV. Sequens vero M. D. XXXIX. rursum deliberationes perquam solicitas & valde arduas attulit de Republica. Quumque placuisset, vt Ordines coniuncti in Confessione ea, quæ supra qualis esset ostendimus, religionis conuenirent Francofurti ad Mœnum, eodem proficiscentem Principem suum iussus est sequi & Philippus Melanchthon, idque iter ingressus est pridie Calend. Februarii. Quod autem incertum omnino esset, quid de pace impetrari obtinerique posset, & multi timerent conatus violentiæ & iniustæ oppressionis, iussus tum fuit Philippus, de legitima & concessa neque contraria voluntati diuinæ Defensione, scriptum componere. Cuius ille in tres partes diuisi siluulam, vt ipse appellabat, tunc instituit.

De compositione solicitum fuit studium Philippi. Animaduertens tamen quorundam non solum callida sed fraudulenta esse consilia, cum illis certare verbis destitit. Atque fuit tum quidem res in summo discrimine. Quo tempore in morbum inopinatum Princeps Hassiæ incidit. Sed post longas difficilesque & odiosas contentiones, inducias & pacem fecerunt. Reuersum domum Philippum curæ laboresque aliæ exceperunt, quod illustrissimo Principe Georgio Saxoniæ Duce mortuo, & totius regionis gubernatione ad fratrem ipsius Henricum deuoluta, de constituendis Ecclesiis & Academia ad Martinum Lutherum & Philippum referretur, & priorem statum Dux Henricus mutari quamprimum cuperet, Successio ista inexpectata aliquando & prorsus insperata, a quodam tamen vaticinante ante multos annos prædicta fuit: qui in Frisia bellum gerentibus fratribus, Georgio & Henrico, Henricum vniuersæ regionum Misnicarum ditionis futurum Dominum esse affirmarat, non sine indignatione Henrici, quem iniquo animo illam prædictionem tulisse constat. Grauissimum etiam vulnus inflictum est eo tempore Philippo, quum se absente, & in vicinam Marchiam profecto, mortuus esset vna cum coniuge, vxoris Philippi sorore, optimus & clarissimus

mus vir Sebaldus Munstererus Iurisconsultus, malo a pueris Noricis præcipuæ familiæ ipsi commendatis illato in ædes eius, quum incautius foris illi versantes contagione pestilentiæ infecti domum rediissent. Hunc Sebaldum, cuius antea quoque mentio facta est, habui in pueritia condiscipulum ego Lipsiæ, & postea constantissimum & fidelissimum amicum. In quo præter doctrinam probitas & religiosa pietas fuit admirabilis. Et ipsa mors, quæ eripuit affines, orbosque liberos horum illi curandos reliquit, & genus mortis miserabile, ingentem dolorem attulit Philippo Melanchthoni. Inque hoc veterum etiam ærumnarum suscitata memoria nouorum cruciatuum, quibus laceraretur animus eius, causa fuit. Itaque tum & tristitia & solicitudine & variis magnisque laboribus sic afflictus est, vt de vita quoque nonnihil esset periculi. Consilia de Academia Lipsiaca occasionem obtulerunt Philippo, vt cogitationem susciperet, me illuc, vbi puer discipulus fuissem optimarum literarum atque artium, ad docendum eas reducendi, quum ex eo tempore, quo alter alteri notus esse cœpit, expetere consuetudinis nostræ vsum nunquam destitisset. Sed pestilentia, quæ hoc anno Lipsiæ fuit, rem distulit. Itaque anno demum XLI. denuo accersitus ab illu-

illustrissimo Principe Mauritio, qui patri Henrico successerat, Lipsiam me contuli: & ita deinde propter vicinitatem iucundior velutique vberior fructus a nobis percipi mutuæ necessitudinis. Decretum fuerat, vt Hagenoæ ad Rhenum conuenirent Theologi, deque controuersis capitibus ecclesiasticæ doctrinæ placide & amanter colloquerentur. Eo proficiscens Philippus quoque Melanchthon in grauissimum morbum incidit, remansitque Vinariæ; vbi clementissima Principis benignitate & diligentia amicorum, evocato etiam Erphordia Georgio Sturciade medico, quem ille diligebat & magnifaciebat, id in curando studium & ea industria adhibita est, vt vita illius Dei æterni propitio fauore conseruaretur. Accurrit tunc ad illum Martinus Lutherus, & decumbenti omne officium præstitit, eumque iacentem in grauissimis perturbationibus erexit, quum consolando, tum admonendo, tum etiam interdum leniter obiurgando. Morsus autem erat ille doloris, cuius cruciatus ita eum prostrauerat. Qui in iis solis, quibus culpam aliquam suam inesse credebat, sustinere tenerrimæ conscientiæ quamuis paruas labeculas non posset, quum esset cæteris casibus animo patientissimo atque fortissimo. De quibus negotiis & rebus narratio copiosa alie-

nior videri posset. In quibus tamen si quod peccatum fuit, peccatum illud vel ignorantis vel melius sperantis Philippi fuisse certum est. Recuperata valetudine in Vangionas ad aliquoties iam dilatum colloquium venit.

LVI. Hoc anno post natum Christum M. D. XL. incendium ortum Tubingæ fœdam stragem dedit. Ea enim subita vi flammarum inter procellas ventorum plures quam LXXII domus celeriter conflagrarunt. Ac quamuis vndique accurreretur ad opem ferendam, & in restinguendo opera strenua daretur, vix tamen ignis sæuitia potuit opprimi. Neque potuisset omnino, nisi ventus ex improuiso sese in contrariam partem, ad ea quæ iam deflagrauerant, conuertisset. Suspiciones erant, non fortuita negligentia illud excitatum fuisse, quod aliis compluribus in locis damna tunc similia data, a conductis pecunia, nunciarentur. Sed certo deprehensum est, in quodam stabulo lumine relicto stramenta ignem concepisse, & inde nocte profunda in vicinas hunc ædes satis lente quasi procedentem ita creuisse, vt serum esset auxilium. Hic casus animum Philippi, in recordatione vitæ iuuenilis Tubingæ in studiis actæ, cum omnium beneuolentia atque amore, & ipse maximo dolore affecit. Colloquium

quium autem illud tergiuersantibus aduersariis in annum XLI. est extractum. Affuit ibidem legatus Romani Pontificis. Hic quum oratione habita, ad tempus & rem præsentem accommodata, actiones illas esset exorsus, Philippus respondere ei cupiens, a Granuellano, qui Imperatoris Caroli loco præsidebat, prohibitus fuit hoc facere; metuente, ne vehementius aliquid initio ille diceret, quod impedimenro esset progressionibus, de quibus bona spes adhuc erat. Quumque Philippus, hoc animaduerso, se moderate responsurum esse dixisset, postulauit Granuellanus ab eo perquam benigne, vt eo tum labore supersederet. Et scio, inquit, te posse tibi moderari, quando vis. Ita breve & minus elaboratum ab altero quodam responsum datum, in eruditorum quorundam dicta incurrit. Etsi autem aderat Eccius, qui fulcire quasi sedem Pontificiam putabatur; & caussæ tamen bonitas, & rerum de quibus agebatur veritas, & Philippi etiam Melanchthonis doctrina, facile tutata est partem illam: & aduersarii tum non parum perculsi, colloquium institutum non illi quidem recusare, id quod honeste facere non poterant, sed clanculum impedire, & disputationes defugere. Et modo moram quærere congressibus, modo nouas conditiones ferre:

ferre: tandemque eo deuenire, vt conscripta a se capita postularent publice recitari, & omnes vt ea approbarent, illisque subscriberent, autoritate præsidis adduci. Non poterant his assentiri Saxonici. Atque ab aliis quoq; compluribus simplex & euidens disertaq; præcipuarum controuersiarum explicatio, præferebatur tortuosis & obscura varietate implicatis istorum formulis. Quo offensis nonnullis nouæ artes tentatæ fuerunt, & institutum vt singuli accerserentur & audirentur coram iis, quibus gubernatio colloquii illius commissa fuerat. Estque actum primum cum Henrico, Theologo illustrissimi Principis Friderici Palatini, sene illo quidem neque eximiæ doctrinæ laude celebri, sed viro optimo & in veritatis exploratæ atque certæ professione defensioneque acerrimo & constantissimo. Post hunc existimabantur audituri Alexandrum Alesium, Theologum illustrissimi Principis Ioachimi Marchionis. Qui quidem & paratus erat & cupidus conflictus. Sed huic obstitit iussum præsidis, qui & Alesium ad pugnam instructum sciret, & talem administrationem rei vitiosam esse animaduerteret. Nam Saxonici cumque his coniuncti, cernentes quæri suorum distractionem, & concipi ab aduersariis spem, fore eos separatos timidiores, epistolam a Philippo com-

compoſitam illis & in conſilium aduocatis miſerant. Ea teſtati, ſe ex animo piam concordiam expetere, & bono ſtudio profiteri id doctrinæ genus in quo verſarentur, (quem iudicarent eſſe conſenſum catholicæ Eccleſiæ Chriſti, eumque illuſtrari & patefieri oportere) ſignificarunt non aliqua ſe cupiditate, non petulantia, non moroſitate, diſſidia alere, qui tanta pericula tot ærumnas, tam dira odia ſuſtinerent: & orare ſe cum reuerentia, ſcripſere, vt ſe illi interpellari boni conſulerent, ab iis qui propter communem Eccleſiæ Chriſti neceſſitatem aduenisſent. Poſt hæc oſtenderunt, audire ideo differri colloquium, vt noua capita excudantur ipſis deinde proponenda, quibus cogantur aſſentiri. Et hac ratione ad concordiam rem adduci poſſe, fortaſſe aliquos arbitrari. Quos & falli certum ſit, & diſcrepare hæc a Decreto Hagenoenſi. Se aduenisſe, vt doctrinam placide conferrent cum aduerſariis, non vt acciperent leges capitum flexiloquorum & inſidioſe ſcriptorum, quibus non tollerentur ſed magis inflammarentur diſſidia. Eo accedere & illud, quod iniquum ſit, non audita vtraque parte ire in ſuffragia. Fortaſſe argumentis auditis atque perſpectis, ex vtraque aliquos parte mutaturos ſententias, quas adhuc retinerent. Itaque graue eſſe præiudicium

dicium ſuffragia præripere. Recuſaſſe ſe ſynodum Pontificiam, quod iniquum ſit aduerſarios & hoſtes eſſe iudices. At in ſynodo minus fuiſſe periculi futurum, quam ſi iam aduerſarii velint neceſſitatem imponere aſſentiendi capitibus ſuis. Conuentum enim ſynodi habiturum plures doctos & moderatos, & externarum nationum homines, minusque indulgentes affectibus animorum ſuorum: fortaſſe & hoc tum futurum fuiſſe, vt & attente audirentur ipſi, & res erudite diſputarentur. Atque perhiberi a quibusdam ſapientibus dici, ne eſſe quidem opus diſputatione, quod illæ ſint non rerum ſed verborum controuerſiæ, quas profit obruere potius quam agitando excitare. Quumque res ſit eadem, horridiora quædam verba leniri poſſe: quo iudicio vtramque partem graviter lædi. Si enim verborum tantum ſint diſſidia, interrogarunt illa in epiſtola Saxonici & ſocii ipſorum, cur ſuæ doctrinæ aſſentientes interficerentur? cur tot mortales, totasque adeo gentes deletas aliqui vellent? Perinde eſſe hoc, ac ſi Sarmata velit interficere Germanum, propterea quod lingua alia ſit. Nimis ſe graues pœnas dare inſcitiæ, ſi ideo plectantur, quod non ſatis facundi aduerſariis videantur. Se etiam ſceleratos habendos, ſi Eccleſiæ & Reipublicæ tranquilli-

tatem turbent, non neceſſariis rixis verborum. Sane ſi quando exarſerunt ciuiles diſſenſiones, in ea quoque parte, quæ iuſtam cauſſam tuetur, minus interdum moderate certari. Ideo non eſſe fortaſſe nullas in vtriusque partis diſputationibus rixas verborum. Sed eas facile poſſe tolli. Et vbicunque res conuenit, non reprehendere ſe verba, quibus & ipſi ſæpe iisdem ſine cauillatione vtantur, quamuis ſentiant proprietatem ſermonis in doctrina eccleſiaſtica ſeruandam eſſe. Non igitur litem de genere ſermonis, ſed rerum magnas eſſe controuerſias: de vero Dei cultu & veneratione: de vera inuocatione. Eas non eſſe eludendas hac ſpecie, quod ſint verborum certamina. Niſi aliqui fortaſſe omnium religionum diſſidia verborum eſſe certamina putent, a qua philoſophia Chriſtianos prorſus abhorrere deceat. Se vnam veram Religionem eſſe ſtatuere, quæ certo verbo Dei tradita conſenſus ſit Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, in qua regnet Filius Dei, & implorantes ſe audiat & impertiat ſalutem atque vitam æternam. Quapropter orare ſe, ne capitum nouorum præiudiciis onerentur, neue rebus nondum diſceptatis ſuffragia præripiantur, ſed vt inſtituatur ſecundum decretum Hagenoenſe collocutio. In ea ſe operam daturos, vt omnes hone-

honeſti viri intelligant, quod non abhorreant a moderatis conſiliis. Vere enim poſſe affirmari, ſic eſſe ſe affectos, vt morte etiam ſua piam Eccleſiæ concordiam redimere cupiant. Vtrum vero aduerſarii hanc quærant, an potius prauarum ſuperſtitionum confirmationem, iudicandum ſe relinquere bonis & veritatis amantibus. Neque fucoſas compoſitiones reſtituturas eſſe tranquillitatem. Quod ſi de rebus ipſis integre planeque diſputari placeat, cur non ſecum potius agere velint quam cum aliis? Nam ſe ſperare, ſuas explicationes piis mentibus ſatisfacturas eſſe, & omnino exiſtimare, inuictiſſimi Imperatoris Caroli eam eſſe virtutem, vt veritatem patefieri, & conſuli ſaluti Reipublicæ velit rationibus optimis. Ideo orare ſe, vt petitio illa ſua in bonam partem accipiatur, eamque proficiſci non ab impudentia, ſed pio ſtudio, iudicetur. Quod ſi pergant aduerſarii præripere ſuffragia, quale ſit futurum iudicium bonorum vbique de conuentu illo non eſſe obſcurum. Quorum ſpem & expectationem falli non debere, neque ſibi imponi neceſſitatem iuſtarum querelarum. Seque confidere futurum, vt autoritate præſidentum interpoſita, ad veritatem patefaciendam ſtudia conuertantur, & aliquando vno pectore & vna voce omnes eccleſiaſtici cœtus Deum celebrent.

His literis redditis, ab incepto illo audiendi adoriendique singulos, autores suasoresque eius destiterunt, rursumque polliceri facultatem congressuum publicorum; quum prius contendissent vt pauci quidam vtrinque deligerentur, & rationem quærerent qua inueniretur aliqua controuersiarum moderatio. A quo consilio Saxonicorum cumque eis coniunctorum quibusdam non abhorrentibus, vel quia timore quodam afficiebantur, vel quia præsidi obsequendum esse statuebant, Philippus, qui publicæ quietis gratia nihil non, quod recta conscientia posset, faciendum tolerandumque duceret, quid periculi tamen illa in re esset, libere demonstrauit. Seque existimare ostendit, ideo proponi angustius illud colloquium, vt dubiæ aliquæ & fucosæ confirmationes sententiarum inueniantur. Quumque iam eum talium actionum magnopere esset pertæsum, & ludibriis aduersariorum prouocaretur, vehementius tum etiam locutus est. Negauitque se talium actionum participem, multo minus administrum esse velle. Non dicere sententiam, non scribere quicquam in hoc genere, non etiam si quid constitueretur approbare. Non, si exercitus hostium, qui ad portas esset, metu terreretur. Doctrinam necessariam in Ecclesia illustrem & claram esse debere: eius

eius luci vt caligo præstigiarum offundatur, se autorem adiutoremque nunquam futurum. Ita ad congressum publicæ disputationis res est reducta. Ibique tum rursum postulatum, ne dissentientes suas rationes pronunciando explicarent, sed vt traderent perscriptas. Hanc occasionem aliqui abrumpendi colloquii censebant non esse amittendam. Quorum in Philippum absentem (is enim e consilio discesserat, hortatus vt quid optimum esset diligenter considerarent) minus etiam clementem orationem fuisse cognouimus. Sed pluribus visum est, hac etiam in parte præsidibus esse gratificandum. Conuenit igitur vt scripta offerrentur. Idque quum faciendum esset, mutare rursum autores huius consilii sententiam suam, & moram injicere, & tandem ad disputationem verborum relabi. Itaque ea statim has quasi velitationes secuta est. Certatum fuit de naturæ vitio & prauitate, & Eccio suo more iactata iampridem enarranti, non sine maledictis contumeliosis in eos, qui ista aliter differerent, quum tamen aliter eum priuatim de quæstione illa locutum esse constaret, Philippus Melanchthon postero die respondit, & suæ partis sententiam veram exposuit plane & diserte, & a conuiciis quidem abstinuit, nonnihil tamen salis in Eccianis ineptiis de-

ridendis aſperſit. Poſt paucas congreſſiones, rurſus diſſuadente Philippo, obtinuerunt vt duo ad præſidem accederent, qui de capite, diſputatione agitato, formulam congruentem perſcriberent. Protulit tum Eccius quandam ſuam. Sed poſtea auocatus Granuellanus ab Imperatore Carolo, qui venerat illis diebus Spiram, tota res ita relicta & ad conuentum, qui Ratisbonæ mox ageretur, reiecta eſt. Hoc quaſi præludium magna ſolicitudine affecit Philippum, neque paſſum eſt bene ſperare de vllis talibus congreſſibus. Neque ille aduerſariorum doctrinam, non potentum vim metuebat, minimeque omnium cauſſæ diffidebat: ſed aſtutiæ fraudes & laqueos in concinnandis & colorandis diſcrepantibus ſententiis, & falſitate quaſi illuminanda infuſcandaque veritate, pertimeſcebat. In iſtis autem actionibus, quantumuis paruæ & leues offenſiones, mirifice excruciare animum ipſius ſolebant. Neque præſagia iſta fuerunt inania. Nam proximus annus non modo fucata & tenebricoſa illa negotia retulit, ſed eorundem priores difficultates auxit, nouis inuolucris & integumentis additis. De quibus aliquid ſuo a nobis loco dicetur. Atque Granuellanus tum ita diſceſſit, vt & bona exiſtimatio eius de Philippo Melanchthone videretur eſſe, & ipſe præ ſe ferret voluntatem

tatem atque ſtudium, quibuscunque modis poſſet perficiendi, vt Germania pacem haberet, pollicens ſe ad manſuetudinem flectere Imperatorem velle, & hortari ad conſeruandam tranquillitatem, & iudicii publici nimiam ſeueritatem coercendam; denique pia & ſalutaria ſua conſilia omnia futura eſſe profeſſus eſt.

LVII. Anno Chriſti M. D. XLI. egit conuentum Imperator Carolus Ratisbonæ ad Danubium, quæ Regenoburga a fluuio vicino appellatur, atque Ptolemæo eſſe exiſtimatur Artobriga, colonia Tiberii. Ad quem quum actiones de doctrina eccleſiaſtica ſuperioris temporis eſſent prorogatæ, ita eo etiam iuſſus eſt proficiſci Philippus Melanchthon. Qui illo itinere in finibus territorii Palatinorum, quum vectoris culpa eſſedum, quo ipſe & alii vehebantur, euerſum fuiſſet, manum dextram ita afflixit, vt nunquam integer vſus illius reſtitutus ſit. Vel luxata, vel certe quaſſatis officulis detorta fuerat commiſſura cum cubito. Itaque & curationis tum & poſtea debilitatis ea parte incommoda moleſtiasque perferre eſt coactus. Protulerunt ibi librum, neſcio quorum opera conflatum, de quo perſuaſum Imperatori fuerat, eo ipſo vtriusque partis errores, quos diſſidentibus altercationes attuliſſent, poſſe corrigi. Poſtulabatur

igitur vt ille probatus reciperetur. Id quod neutra pars facere voluit: quum Saxonici illum quidem non penitus rejicerent, sed censerent emendari oportere, inque eo operam suam pollicerentur; aduersarii autem horum, totum librum repudiarent & damnarent. Vt infelice admodum sidere natum hunc librum existimari debeat: qui recens veluti, in pueritia sua omnibus inuisus & clanculum educatus, postea adultior caussa maximarum calamitatum fuerit, quando Interim dum Synodus cogeretur, eodem ferme, sed accuratius vestito, vt ferebatur, prolato, quid fieri seruarique placeret, definitum fuit. Atque erat Ratibonensis expositio talis, quæ, nisi disceptando & concertando diffidentiæ alienationesque animorum corroboratæ essent, ferri admittique recte posse plurimis videbatur. Sed acutiores multa notabant, partim occulta falsitate inserta, partim callide & insidiose perscripta. De quibus pacis & tranquillitatis amantissimum Philippum curæ agebant die noctuque, vt somnia etiam quædam, quorum visis per quietem territus esset, diuulgaret. Sed tunc quidem, magis aduersariis quam Saxonicis reclamantibus, de libro multiplicibus & variis notis interpolato nihil constitutum fuit, & dimissus conuentus sat bonis conditionibus,

Imperatore Carolo ad calamitosi exitus bellum Africanum festinante. Multorum etiam summorum virorum nunciata, interque eos præcipuorum amicorum, funera, maximum luctum & grauissimos dolores attulerunt Philippo Melanchthoni: inprimis Simonis Grynæi & Eobani Hessi, quorum ille Basileæ, vt supra dictum est, hic, de quo nostra extat peculiaris narratio, Marpurgi mortem obiit, sæuitia pestilentiæ continua annis pene tribus vastante regiones ad Rhenum & Harciniam. Quibus & Argentina, quum alios præstantes pietate & doctrina viros; tum Wolfgangum Capitonem & Iacobum Bederotum amisit. Fuisse eo tempore cognouimus Philippi Melanchthonis animum iterum inuitatione Gallica tentatum, cumque eo actum, vt intermissam aliquando profectionem tunc susciperet atque perficeret: sed negotium istud neque tractando accurate gestum est, & inter initia statim euanuit. In Britannia autem Rex diuortiis coniugiisque ludere, & pro arbitrio suo edere decreta, & quoscunque ea improbantes crudeliter tollere e medio, siue Pontificis Romani seu Saxonicæ Ecclesiæ doctrinam amplecterentur. Id enim modo obtineri omnium assensione studebat, quod ipse in animum induxisset, & sibi passus fuisset arridere. Quæ & ipsa quum

eorum reſpectu, qui atrocibus ſuppliciis interimebantur, tum priorum actionum memoria, animum Philippi vehementer & dolore & interdum indignatione commouentia affligebant. Sunt autem deinceps ea negotia ſecuta, quæ perpaucis animaduertentibus, quum a plerisque parua & futilia ducerentur, a multis nihil prorſus curarentur, cauſſas vel dederunt vel cumularunt atrocium turbarum & calamitoſorum euentuum. De quibus ſi Philippi Melanchthonis ſermones, periculum præuidentis, & ea conſilia quæ capiebantur quorſum euaſura eſſent metuentis, iam recenſerem, vereor ne non deeſſent, qui fingi iſta ſuſpicarentur: id quod impune facere liceret, & eſſet in procliui rebus geſtis & confectis. Ne igitur in his moram faciamus, perſtringentur ea & breuiter indicabuntur, quibus ipſe partim non repugnans implicatus eſt, partim volens interfuit, partim etiam cum magna vtilitate & fructu præfuit. Hoc autem vere commemorare poſſum, nihil poſtea accidiſſe, quod ille non timuerit & prædixerit, quum quædam ſuſcipi & tali ratione adminiſtrari minime probaret.

LVIII. Fuerat rei Naumburgenſis in Duringia & cura eccleſiaſticæ eo loci gubernationis commiſſa illuſtriſſimæ familiæ Palati-

latinorum Principi Erneſto Philippi F. Is mortuus eſt hoc anno, in quem narratio noſtra iam excurrit, Ieſu Chriſti M. D. XLII. Et ſuffragiis collegii illius ſurrogatus ipſi Iulius gente Pflugius, quæ eſt Miſnicæ nobilitatis primaria. Hoc eſſe factum non conſulto neque aſſentiente ſe, Iohannes Fridericus Princeps Elector grauiſſime queri, neque actionem eam ratam eſſe pati. Cauſſas etiam exponere quasdam, cur antiſtitem Naumburgi præſidere Iulium ſibi tolerabile non videretur. Atque mirabantur nonnulli, Iulium, ingenio excellente doctrinaque literarum inſtructum, & percultum optimarum diſciplinarum artiumque ſtudiis, iis etiam ab adoleſcentia rebus gerendis exercitatum, vt non vulgarem prudentiam adeptus eſſe crederetur: hunc igitur talem virum, & tam dubiis rebus difficilibusque & turbulentis negotiis cupiiſſe implicari, ne temporibus quidem conſideratis, quibus parendum eſſe ſapientes præcipere & neceſſitatis vim tribuere non ignoraret, erant quibus mirum videbatur, quique non poſſent, quid rei eſſet, decernere. Sed ipſe & ſcripto quodam edito conſilii ſui rationes reddi ſtuduit, & alii, vt fit, tunc alia quum ſuſpicari, tum affirmare, pro eo atque factum iſtud probabant aut improbabant, & de Iulio bene aut male exiſtimabant.

bant. Atque tunc Iulius ſolii Naumburgenſis poſſeſſionem adipiſci non potuit, quum ius ſuum nihilominus proprietatemque eſſe docere conaretur & dignitatem nominis retineret. Poſtea tamen & illo, rerum ſtatu in his regionibus alio, poſt infelicis belli exitum, eſt potitus. Poſtquam autem Princeps Elector decreuit, ſe non eſſe paſſurum illo loco præſidere Iulium, & rei Naumburgenſi iuſſit alterum præfici; voluit Philippum Melanchthonem adeſſe eo tempore, quo in ſedem Naumburgenſem ab Electore Principe deſignatus ſolenni collocatione imponeretur. Intercedebat Philippo cum Iulio ſingularis vſus, & literæ vtriusque, ſcriptaque edita Philippi, quanti vterque alterum faceret, teſtabantur, & conſtabat ſumma benignitate a Iulio Philippum comprehendi. Neque contra dignitatem & amplitudinem Iulii quicquam a Philippo eſt factum. Qui ideo ſine recuſatione ſuſcepit iter illud, vt eccleſiaſticæ ac ſcholaſticæ adminiſtrationis diligentius conſtituendæ vel autor vel adiutor eſſet. Neque enim de cæteris, quæ ad gubernationem terrarum, aut bellorum motus, aut ordinandi ſtatum Reipublicæ ſpectarent, ad hunc magnopere iam ſolebat referri. Itaque eo erat non quidem ſolicitudo de euentis illius leuior, ſed dolor, ſi quid forte accidiſſet grauius, minus acerbus; quod ſe culpa omni carere, & iſtiusmodi neque conſiliorum neque actionum ſocium eſſe ſciret. Etſi interdum mandabantur ei operæ quædam ſcriptionum, vt eo bello, quod hoc anno inter apparatus armorum, quæ contra Turcicam in Pannonia vim expedirentur, aduerſus Henricum Brunſuicenſem Ducem ſuſceptum geſtumque eſt. Quam ſic dedit, vt & vera inprimis & ad ſpem tranquillitatis ac quietis accommodata perſcriberentur. Sed horum narratio a propoſito noſtro aliena eſt. Vt autem explorata turpitudo & manifeſtum dedecus, neque adiumentis vllis quaſi fulciendum, neque ope conſilioque tuendum eſt; ſic quæ prudentes eſſe interdum eiusmodi, vt omnium reprehenſionem non poſſint effugere, & aliqua ex parte labaſcere vident, ea non dubitant ſtudio induſtriaque ſua ſuſtentare, ne grauiores ruinæ atque labes fiant. Non illi quidem committentes quod malum ſit & inhoneſtum, ſpe euentus laudabilis ac boni, ſed hac ipſa moderatione & effugientes vitium & in præſentia rebus afflictis conſulentes. Nam qui rebus dubiis & perturbatis nimis fortes ſunt, ii interdum laborantibus ea remedia adhibent, in quibus medicina plus nocet quam prodeſt, curantes, contra prouerbium, malum malo. Hæc negotia

gotia exceperunt alia, quibus Philippus Melanchthon & exercitus & defatigatus fuit. Nam quæ solicitudo & anxietas de Republica animum ipsius tunc excruciarit, Imperatore Carolo ad bellum in Germaniæ regione Cliuensi excitatum aduentante, de eo nunc nihil dicam, & ad communes curas in talibus propter amorem erga patriam sane mollis & teneri, & in consideratione diligente futurorumque providentia fluctuantis animi ipsius, referendo apponam. Proprie autem oblata ei & ab ipso susceptа, vt antea, deinceps persequar.

LIX. Gubernabat ea tempestate rem Colonienſem & commissam habebat Ecclesiæ illius custodiam Arhiepiscopus Hermannus, Septemuir creandis Imperatoribus Romanis, annis grauis, amans veritatis, & cupidus rem ecclesiasticam in meliorem formam redigendi; quam non modo ipse intelligeret ita esse deprauatam atque corruptam, vt sine emendatione diutius stare non posset, sed videret eos quoque, qui neque Dei metu neque hominum respectu magnopere tangerentur, non audere tamen negare, plurimis & maximis vitiis laborare cum deformitate fœda & minime occulta. Atque erat ille hoc iampridem facere conatus, & aliquid in eo genere inchoarat, sed præclarum & salutare

tare opus absolutum non fuit. Habebat initio & suasorem & adiutorem præcipuum ex collegio sacerdotum vnum, Gropperum nomine, a quo postea non modo perfide desertus, sed hostiliter etiam oppugnatus est. Hic optimus & religiosissimus Princeps ab illustrissimo Principe Iohanne Friderico Saxonum Duce impetrauerat, vt Philippum Melanchthonem ad se proficisci pateretur. Nam præclarissima & maxime vtili illius opera se vsurum in iis, quæ parabat, arbitrabatur. Quæ eum opinio vt non fefellit, sic concepta spes aliquantulum frustrata est. Quod non accidit vel negligentia ipsius, vel Philippi Melanchthonis culpa, sed importunitate & odio quorundam oppugnantum noui operis veluti structuram. A quibus diuina & humana commota fuerunt, & effectum vt non modo Pontifex Romanus, sua sponte procliuis ad irruendum in Colonienſem sanctissimum Episcopum, incitatus vibraret quasi fulmen execrationis vsitatæ; sed Imperator quoque Carolus vt diu multumque vrgendo impulsus, contra Principem, in quem more maiorum & iure publico, sine solennis iudicii legitima cognitione, vindicari nullo pacto liceret, iracundiæ & sæuitiæ sententiam tandem pronunciaret. Verum hæc aliquanto post acta, neque mea narratione exponenda

nenda sunt. Sed Philippus Melanchthon anno Christi M. D. XLIII. deducente pietate & virtute atque eruditione doctrinæ præstante viro Petro Medmano, mandato Archiepiscopi, mense Aprili iter ingressus, ad Principem venit Bonnam, vbi ille tum commorans istam rem agebat, & rediit ad suos mense Augusto: maximæque lætitiæ aduentus ipsius fuit vniuersis, sed scholasticis potissimum, qui obuiam illi processere, secuti præceptores plerosque & magistros suos. Quid autem & consuluerit & egerit apud Principem Philippus Melanchthon, de eo & ipsius & aliorum scripta extant, quæ eius testantur diligentiam & solertiam & fidem in cunctis, quibus tractandis adhibitus fuit. Vt minus clementiusque tunc repugnatum fuisse, iam nonnullos optare, existimari posse videatur. Ab Archiepiscopo accersitus fuerat Argentorato Bucerus, cuius nomen erat inuisum inprimis; quum neque in illius vita vllæ turpitudinis maculæ hærerent, neque in doctrina errorum vitia deprehenderentur, & ipse neque pericula neque molestiam laboremque ferre, qui pro tranquillitate Deo æterno grata & hominum societati profutura susciperetur, recusaret.

LX. Annus proximus fœcundus fuit caussis malorum, & magnum mœrorem attulit

tulit Philippo Melanchthoni nunciata mors patriæ ipsius illustrissimi & fortissimi Principis, Ludouici Palatini. Quo viuente, nemo admodum timuit, ne errumperent in publicam cladem & perniciem bellorum, multorum animis odia simultatesque inclusæ, quæ veluti antecedentia tempestates sæuas & horribiles murmura iamdudum exaudiebantur. Non diu admodum ante huius Principis mortem mihi scribens Philippus Melanchthon, se per quietem visum esse significabat videre, ab illo se accersi; idque in eam partem interpretabatur, quod tum & curis conficeretur, neque firma valetudine vteretur, se ab illo Principe mortuo ex hac vita euocari. Verum præsagium hoc obitus Ludouici fuit, qui est altero anno subsecutus. Philippus autem vixit non sibi, sed aliis, benignitate Dei diutius. Alterum grauissimum vulnus animo Philippi inflixit acerbissimus casus Hieronymi Pamgertneri Norimbergensis, viri sapientia, virtute, doctrina literarum, eruditione, humanitate excellentis, & maximi religionis puræ & pietatis amatoris. Quem & adolescens ipse adolescentem cognouerat, cumque eo familiarissime in communibus studiis Wittenbergæ vixerat, & progressum ad amplissimos honores in patria ipsius colere perseuerarat, quum quidem ab ipso cum

reuerentia præceptori debita diligeretur. Optimum hunc & integerrimum atque ſummum virum, in itinere, reuertentem domum a conventu Spirenſi, quo miſſus a ſua ciuitate fuerat, quidam tunc, qui ſe hoſtes reliquiis fœderis Sueuici profitebantur, comprehenſum, inque diuerſis latebris, vt neceſſe fuit, abditum & diu vexatum, tandem pecunia accepta dimiſerunt. Atque exiſtimabatur alteri iſtas fuiſſe inſidias poſitas, ſed rebus inſtructis ac paratis, quum Pamgertnerus in illas incidiſſet, præda oblata arripienda fuit. Declaravit Philippus Melanchthon dolorem, quem ex amici fortuna aduerſa capiebat, non modo ſermonibus & literis ſuis, ſed ſtudio quoque & opera, quum perficiendo vt familia Pamgertneri conſolationibus eorum ſublevaretur, quorum autoritate eam moueri, & vnde bonam ſpem oſtendi ſciebat, tum quærendo occaſiones etiam quasdam liberandi captiuum, & iis a quibus detinebatur placandis, Principum quorundam fauore clementiaque & cura adhibita, & notorum ex equeſtri ordine hominum adiuncto ſtudio. Sed liberatio illa mirabiliter impedita & res dilata fuit; nonnullaque capto laudabilia atque glorioſa ipſi nocuerunt, de quibus narratio verboſa neque huic argumento congruit, neque a me eſt perſequenda. Cum diuturno tamen

tamen dolore & ingente triſtitia ſuorum graviſſime afflictus, non ſine vitæ propter morbos periculo, patriæ reſtitutus eſt & rediit domum Pamgertnerus, lætitia omnibus bonis exultantibus, & ad conſpectum reuertentis effuſa ciuitate vniuerſa. Furor quidem iſte Martius & vis graſſatorum, quin crimen ſubeat ſceleris & impietatis, vereor vt defendi nequeat; ſed & vſurpatur tamen ille more, & in hoc mundo ſuum ſcilicet malum cuique æquo animo eſt ferendum.

LXI. Philippus autem aliis etiam tunc aduerſis, & malis familiaribus atrociter vexatus eſt. Quorum commemorationi etſi multa obſtabant animo meo, prorſus tamen de his reticendum eſſe non duxi. Filiam maximam natu Annam, amantiſſimam ſui, incredibili caritate diligebat. Erant autem vehementes admodum incitationes huius in illo viro affectionis, adeo vt aliquibus hæ immoderatæ & cum indulgentia nimia coniunctæ viderentur. Sed in filia omnino natura optima & præclarum ingenium, pietatisque & omnis honeſtatis decus, non immerito illam patri magnopere commendabant, matris præſertim partu difficili in lucem editam, & in quam amoris paterni vis ſe primum quaſi effuderat, accedente etiam fortaſſe aliqua occultiore naturæ conciliatione.

Erat puer gentis Marchicæ, qui tum certis de cauſſis clancuium Wittenbergæ in ſtudiis literarum educabatur, inque ædibus Philippi Melanchthonis degebat, patria Brandeburgenſis, Georgius nomine. Hic diſcendi ardore flagrabat, & in eo impetus quidam divinus manifeſto apparebat, efferens ſe ad ſapientiæ virtutisque præſtantiam; qualis in omnibus, qui vlla in parte & quocunque genere virtutis ſingularem laudem & egregiam famam conſecuti ſunt, fuiſſe animaduertitur & eſſe conſueuit. Hinc enim exiſtit immenſa cupiditas, impellens atque inſtigans animum ad ea ſuſcipienda & agenda, quibus, quæ aliquis appetiuit, ea ſe eſſe adepturum ſperat. Inter quos conatus neque labor fugitur, neque cura alia admittitur, neque cogitationi actioniue alteri locus relinquitur. Inque hoc modo opera datur, vt in quod incumbendum ſibi aliquis duxit, in eo laude excellentes ipſe non modo aſſequatur verum etiam antecedat. Itaque dies noctesque ſumma contentione enititur, vt ad partam ſtudio diligentiæ ſuæ facultatem, maiorem aliquam copiam addere & acquiſita bona augere poſſit. Vidi ego hunc Georgium, qui poſtea Sabini nomine celebris fuit, valde tenera adhuc ætate, lacrimas profundentem ad lectionem boni & elegantis carminis. Audiui

diui triſtes querelas eius, deplorantis ſuam infelicitatem in ſcribendo, quum non ſolum per ætatem nihil quod perfectum eſſet ipſe elaborare, ſed ne intelligere quidem rationem perficiendi elaborandique adhuc valeret. Huic ſane iuueni puellam filiam ſuam deſponderat Philippus, duxitque eam ille anno Chriſti M. D. XXXVI. Quumque non modo ſcientia literarum bonarumque artium excellere, ſed dignitate quoque præſtare cuperet, & difficultatis & moleſtiæ in iſto curſu nonnihil ei fuit exhibitum. Atque de cæteris prætermitti recte poteſt narratio. Hoc autem anno, in quo expoſitio noſtra occupatur, oſtenſa ſpe melioris & ſplendidioris conditionis in Pruſſia, haud ſcio quo pacto, inter ſocerum ac generum non quidem odium aut ſimultas, ſed alienatio tamen quædam & prope diſſidium ortum fuit. Narrationem autem talium ideo nequaquam omittendam duco, non modo ne quid prætereatur quod expoſitionis fides requirere videatur, ſed vt huiusmodi quaſi vulneribus inſpectis, quam miſera interdum vita ſit magnorum virorum intelligatur, quum ad onera Reipublicæ pondus etiam domeſtici doloris adjicitur. Fons autem erat omnium, quod Sabinus ſocero nimia cupiditate illuſtris fortunæ videbatur ardere. Ille autem non tan-

tum adiuuari & quasi promoueri se ab ipso, quantum optabat & posse arbitrabatur, ægre ferebat. Scholasticæ vitæ genus amabat Philippus, & illa humilitate delectabatur. At Sabinus eminere & conspici volebat, amplitudine etiam honorum & opulentia. Itaque magna ille spectare, neque nominis celebritate, quam rectis studiis sibi comparauerat, esse contentus: hoc agere, vt vulgi oculi in se conuerterentur, & ipse in Reipublicæ quoque luce versaretur. Ex eo fiebat vt voluntates horum aliquantulum disiungerentur. Quod vbi accidit, quamuis non inimicitiæ etiam suscipiantur, amicitiam tamen debilitari variis suspicionum offensionumque caussis necesse est. Etsi autem Philippo Melanchthoni nemo inueniebatur ad eleuanda ferendaque ea, quibus interdum grauissime lædebatur, fortior atque patientior, tantum aberat vt ab ipso vllius veluti secessionis occasio daretur; tamen in hac quasi velitatione, multa vehementer pupugerunt animum ipsius, præsertim quum nonnihil tristitiæ vel etiam acerbitatis ad filiam pertineret, quam vt diximus, maximo amore complectebatur, quamque tam procul deinceps abfuturam, & cum marito irritato discessuram esse, valde dolenter ferebat. Aliqui etiam huic aut illi assentando pene effecerant, vt distractio ad

adiurgia ac contumelias euaderet. Sed ista tamen veluti tempestas sic abiit, vt moderatione tolerantiaque & obsequio Philippi facile leniretur Sabinus, & coniunctio benevolentiæ mutuæ inter ipsos conseruaretur, & in coniugii vsu nihil insuaue sequeretur, præsertim quum & rei atque dignitatis accessione augeretur Sabinus. Apud quem Philippi filia postea, nulla re dirumpente iucundæ consuetudinis amorisque mutui vincula, annis quatuor in Prussia vixit. Decessit enim anno Christi M. D. XLVII. apud montem Regium Prussiæ IV. Cal. Martii, qua nocte per quietem patri species mortuæ filiæ oblata est, eoque somnio significatum esse casum istum & ipse existimauit, & euentus facit vt credibile sit: eiusque mortem nunciatam magis molliter tulit pater amantissimus illius, quam plerique esse laturum crediderant; vel ratione quasi in gyrum exultantes animi motus reducente, vel diuturnitate temporis ad toleranda omnia factus robustior.

LXII. Priuata hæc incommoda solicitudine Reipublicæ cumulabantur. Nam & bellum periculosum inter Imperatorem Carolum Regemque Galliæ Franciscum vtriusque summa contentione impendebat ac mouebatur, & actiones de Brunsuicensibus negotiis instituebantur eiusmodi, vt his se-

mina certaminum tumultuumque nouorum iaci viderentur. Verum & res tandem, Carolo in Gallicum agrum progresso longius, composita est, & pax inter Reges facta, & contentio illa Principum intra verborum maledicta & criminationes tunc quidem constitit. Sed Philippus Melanchthon aliis quasi in portu, id est apud suos, procellis iactatus ita fuit vt pene euerteretur, vel oppressus vel pulsus iniquitate & odio nonnullorum, qui contra ipsum Martini Lutheri animum incitauerant atrocitate accusationum, quarum caput erat moderatio & lenitas, quibus ab illo aduersarios subleuari dicebatur. Atque aliis temporibus concedendo & mollicndo quædam, causse eum nocuisse prædicabatur. Tunc autem renouabantur, cum quadam non modo vehementia sed plane sævitia, disputationes de sacratissima in Ecclesia Christi actione cœnæ mysticæ, quæ est communicatio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. De ea quorundam, qui Martino Luthero ita se dabant, vt doctrinam illius vniuersam non modo cupide amplecterentur, sed eam etiam exaggerare non necessaria interdum amplificatione studerent; horum igitur nonnulla insulsa & propemodum profana tam dicta quam scripta illi, nonnullisque aliis piis & attente rem considerantibus, non probabantur. Sed hæc quasi nubecula celeriter eo quidem tempore depulsa, turbæque istæ facile sedatæ fuerunt, & temere incitatam iracundiam quibusdam reprimentibus, & Philippo Melanchthone solitam moderationem patientiamque constantissime vsurpante. Grauiter etiam perculsus tunc ille est nunciata morte Valerii Cordi, qui patrem habuerat Euricium, virum ingenio doctrinaque excellentem. Qui me, quum Erphordiam studiorum caussa venissem, humanissime complexus notumque habuit admodum familiariter, suorumque Epigrammatum luculentis versibus studiose ornauit. Eumque ego vicissim obseruans colui, & quibus potui officiis, illa ætate conditioneque mea, adiuui. Neque erat minus in filio præclara natura, & tempora magis opportuna ad illam percolendam optimarum literarum artiumque copia, & occasiones habuerat patre meliores. Hic iam omnibus ad spem expectationemque de eo admirabilem erectis, quum spectatæ eruditionis atque scientiæ opera edidisset, in Italiam augendæ liberalis & vtilis cognitionis gratia profectus, Romæ febre laborans moritur. Morbus autem contractus putabatur, nimia defatigatione in locis calidioribus; quod ipse, qui in artis medicinæ studium incubuisset, non prata

modo ac campos, sed montes vallesque vbique perreptare, herbas, radices, stirpesque explorans non cessaret. Aegrotauit eodem tempore ibidem Cornelius Sittardus Colonienſis, qui tum quidem periculum euasit, sed postea Norimbergæ cum maxima laude & plurimorum salute artem Medicinæ factitans tabifico morbo consumtus interiit anno Christi M. D. L. Valerium autem vt notum carumque luxit Philippus, sed magis deplorauit mortem ipsius propter erepta Reipublicæ commoda & interceptos fructus, qui potuisse ab illo, si contigisset vita diuturnior, percipi viderentur.

LXIII. Sequens annus Christi M. D. XLV. vidit crudelissima supplicia & sæuitiam immanem in Galliæ regno, non tantum singulos aliquos corripientem, sed in oppida populosque totos grassantem, iugulando omnis ætatis, sexus, conditionis mortales, & inflammando oppida atque vicos regionesque vastando; quod aliqui in studio veritatis, & errorum manifestorum declinatione, tanquam hostes nominis Christiani & desertores catholicæ Ecclesiæ accusarentur. Vidit & conventum indictum in Vangionibus; qui fuit vltimus, (nam euasit hic in annum proximum deductus Ratibonam) in quo verbis & colloquiis de controuersis doctrinæ capitibus disce-

ptari placuit. Nam siue insidiose & callide, seu fatali quadam progressione, ita res actæ, eaque tum cogitata, deliberata, susceptaque fuerunt, vnde tandem varii multiplicesque conatus belli Germanici eo euaserunt, quo iamdudum cupiditates plurimorum impulerant. Affuit ibi Cardinalis Farnesius. Principes Germaniæ non affuerunt. Itaque cum colloquii de religionis rebus mentione, conuentus alter rursum indictus, qui ageretur ad Danubium Ratibonæ. Interea ad recuperandum principatum suum exul Brunsuicensis tentare molirique quicquid poterat, &, collecto tandem exercitu, in suo quondam territorio tunc victus captusque fuit, ductante copias fœderis aduersarii Philippo Landgrafio Hessorum. Hoc anno mortuus est optimus & integerrimus, sapientiaque & virtute, inprimis pietate eximia, præditus Georgius Heltus patria Vorchemensis, quod est oppidum ditionis Pabepergicæ; meus præceptor sic de me meritus, vt non minus gratiæ ei quam parentibus debeatur. Qui neque me aliter quam filii loco toto quinquennio, quo discipulus ipsius fui, habuit, & retinens illam caritatis affectionem dilexit omni tempore vitæ suæ. Vtebatur hoc reuerendissimus & genere, sanctitate, omnique ad Deum & homines laude illustrissimus

Prin-

Princeps Georgius Anhaldinus, quæ antiquissima & præclarissima Germanicæ nobilitatis familia Ascania est: eiusque autoritate atque fide non facile quicquam aut prius aut potius ducebat. Fuerat autem cum fratre illustrissimo Principe Ioachimo in disciplinam ei adolescens traditus. Quo nomine & erga me illorum Principum clementissimum fauorem expertus sum, qui me etiam condiscipuli appellatione dignarent. Sed tantum tribuebat Heltus Philippo Melanchthoni, a quo & ipse singularem in modum diligebatur & magnifiebat, vt sæpe impetraret copiam aliquantisper Wittenbergæ degendi. Vbi illum cerneres cum libellis & chartis ad loca doctrinæ publicæ itare, non minus assidue & relictis omnibus quam infimæ sortis alterum quenquam. Tantus durabat in sene etiam ardor discendi. Nonnunquam de grauibus & difficilibus rebus quærendi consiliique petendi ille caussa a Principe eo mittebatur. In quo valde liberaliter potestate facta vti solebat. Atque is tum Dessauiæ mortuus, & illustrissimis Principibus & Philippo Melanchthoni ingens desiderium sui reliquit. Luxeruntque eum illi vt parentem, hic non secus atque fratrem, & monumentorum operibus ac scriptis studuerunt celebrari. Cunctas ille facultates suas libris coemendis impenderat, habuitque Bibliothecam omnis generis librorum refertam. Cuius æstimatæ pretium munifice Principes persoluerunt, secundum voluntatem & sententiam testamenti ipsius. Non possum silentio hoc loco præterire quod memorabile videtur. Quum Heltus a primæ pueritiæ annis castissime cælebs vixisset, considerans tamen in quam ætatem incidisset, & cuiusmodi vita moresque essent sæculi huius, certæ pecuniæ summæ fructum annuum honestæ & pauperi alicui virgini, dotis nomine, quo facilius in matrimonium collocari posset, de suis destinavit. Quod matrimonia conciliari ad conscientiæ puræ conseruationem, & turpitudinis multorumque malorum fugam plurimum prodesse iudicaret. Mei quoque ego mœroris & luctus domestici socium eo anno Philippum Melanchthonem habui, quum in patria amississem carissimum fratrem, de tribus vna mecum adhuc reliquum, Hieronymum. Quem Philippus quod cognouisset esse ingenio bono & acri, & morum grauitate, & probitate vitæ, multisque præcipuis laudibus eminere, non mea tantum caussa, sed ipsius etiam admiratione adductus, carum habuerat, & mortuum veræ beneuolentiæ lacrimis deplorabat, quum meos quidem gemitus consolatione amantissima literarum suarum

seda-

sedare conaretur. Id quod & ante asperis temporibus nostris ille studiosissime fecerat, quæ curæ ei fuere maiori, quam si propria essent atque sua. Miserat ad eum non diu ante quam moreretur epistolam accurate scriptam, de filia, cui ille, quod minus considerate & ignorante se consilium de coniugio cepisset, valde irascebatur. Quæ leuitas quantopere parentes honestos & sequentes laudem integritatis offendere soleret, intelligebat quidem Philippus, sed malum istud sanari ignoscendo ducebat esse melius. Quæ & ipsa epistola, vna cum aliis ipsius, si videbitur & res tempusque feret, aliquando edetur. Et ista, nostrarum enim rerum esset expositio, inculcanda non sunt, quum quidem varietatem habuerit tantam vita fratris mei, & ea in vtramque partem illi vsu venerint, vt narrare indignum non esse videatur. Qui & diuinitus ex periculis maximis ereptus, neque secundis rebus insolens, neque aduersis mollis fuit: veritatis amans, integritatis & fidei spectatæ. De quo prostrato etiam melior existimatio bonorum fuit, quam de iis quorum odio & inuidia conciderat. Verum de his satis. Rediens igitur ad propositum oratio ea quæ restant persequatur: & isti quasi emblemati ignoscatur a legentibus, mentionique tali impetret veniam fraterni amo-

moris affectio, & desiderium amissi huius, & consanguineæ necessitudinis recordatio.

LXIV. Hoc anno commissa administratione rei Mersburgensis illustrissimo Principi Augusto Henrici F. Duci Saxonum, adiungi ad gubernationem ipsius placuit illustrissimum Principem Georgium Anhaldinum, cui respectus & cura Ecclesiæ regendæ imponeretur: eoque ille munere est functus diligentia & fide maxima, ad id vsque tempus, quo administrationis istius onus Princeps Augustus deposuit. Quum enim inde functionem muneris sui pendere vniuersam non ignoraret, hanc prouinciam non magis habente Principe Augusto, suam quoque curationem sibi adimi & simul extingui intelligebat. Paullo post, quorumcunque sane opera atque studio, nam mihi ista scrutari non est visum, effectum fuit vt collegium Mersburgense, omissa antistitis more maiorum ex suo corpore electione, postulandum ab externo statuerent vt antistes Ecclesiæ illius esse vellet, cum qua iam gubernandi regionem illam principatus rursum cohærebat. Is fuit ex eorum genere, qui antistitum aliorum suffraganei vocantur, vicarii quidam certis operationibus sacrorum exequendis. Quos & ipsos, quod antistitum nomine censeri oportere

tere existimaretur, certarum vrbium titulis ornari, earumque ritu solenni antistites renunciari, tum est cœptum, quum Christianæ religionis veritas superstitionum varia specie commutata fuit, siue errore seu dolo. Atque ille, qui tum Mersburgum accitus ad hoc fastigium dignitatis & opum peruenit, Sidonius appellabatur, natus in terra Feringensi, humili loco, & educatus in studiis Tubingæ, ibique & Magistri liberalium artium honorem consecutus: quum vixisset aliquantisper in contubernio fundato ad alendos pauperes scholasticos, quibus certo numero & de domicilio & victu & doctrina prospectum est: inde ad ludos literarum aperiendos discessit, venitque Moguntiacum ad Rhenum. Ex magistro ludi deinde, quod doctior quam alii & facundus esset inprimis, factus sacerdos est, concionumque in templis habendarum munus ei datum. Et his gradibus ascendens ex illo, quo diximus, Vicariorum genere, ad Principatum Mersburgensem processit. Postulationi isti illustrissimus Princeps Georgius, cuius in eo collegio spacii temporis longi prærogatiua esset, in quod ipse ante cæteros omnes cooptatus fuerat, assentiri magnis & grauibus de caussis noluit. Non quod ipse sibi aliquid commodi quæreret, sed ne temere committeretur summa rerum

rum ignoto, & de cuius actionibus atque scriptis editis suspicio esset, doctrinam ecclesiasticam perpurgatam & probatam sibi, illum non amplecti. Nam quod ad terræ illius dominatum attineret, testabatur, Imperatoris Maiestati se subiectissima voluntate parere, neque recusare, ne, quem huic præesse Imperator voluisset, potestas ista contingeret. In qua sententia optimus Princeps constantissime perseuerauit. Sed neque de his rebus quæ opinio quique sermones hominum fuerint, neque omnino temporum illorum quasi cursum enarrare, & eo, vnde digressa est expositio, reuocare illam, libet. Princeps Georgius & sapientia & animi magnitudine excellebat, sed religiosæ pietatis & veritatis cœlestis amor atque studium erat in eo eximium & admirabile. Quum igitur ab ipso peteretur hoc adiumentum, & vt in Ecclesia Mersburgensi antistitis loco præsideret, non prius potuit obtineri assensio, quam consultis iis, qui in Saxonicis regionibus præstare cognitione & scientia veritatis cœlestis, & viri optimi integerrimique videbantur. In quibus primas facile tenebant Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon. Quorum non modo cohortatione motus, sed sententia atque iudicio impulsus, ferri sibi illam curationem & honorem mandari

dari passus est, vt rem ecclesiasticam Mersburgi gerendam susciperet, minime tunc quidem constitutam atque ordinatam, ac potius admodum confusam & distortam. Quam illius vigilans pietas, & religiosa industria, in eam formam redegit & tali ratione composuit, quæ firmissimo fundamento nitens, non modo dum ipse præfuit stetit, sed neque postea labefactata est; vel non audentibus vllis conuellere pulcherrimi quasi ædificii structuram, vel non reperientibus quid melius rectiusue elaboraretur. Norat Princeps Georgius non solum sacrarum literarum exquisitam doctrinam, sed consuetudinem etiam & ritus Ecclesiæ, tam definitos & expressos in illis, quam secundum has consensione fideli introductos. Nam a prima adolescentia in his studiis versatus fuerat. Eratque ei exploratum, quatenus a sincera & pura sacrarum literarum intelligentia, doctrina ecclesiastica alicubi recessisset, & quibus in partibus antiquitatis religiosa obseruatio deprauata, mosque maiorum corruptus esset. At ille in omnibus bonam esse conscientiam & se culpa vacare cupiebat, inque eo maxime solicita erat circumspectio ipsius & diligens consideratio. Itaque non, nisi suffragiis in vicinia Ecclesiis præpositorum designatio illa approbaretur, & solenni conventu

ventu iudicium hoc fieret, & sententia ipsorum cum religiosis ad æternum Deum precibus publice cognosceretur, vel nominis honorem admittere, vel vsurpare dignitatem, vel omnino quicquam rei gerendæ capessere voluit. Fuerunt ea tum acta, quæ illa quidem tunc ab iis, qui Romanæ horum temporum Ecclesiæ præscriptionem, vt mendosam neque amplius ad veritatis normam quadrantem, sequi se, scientes & intelligentes vitia, sine impietatis scelere posse non arbitrantur, mutata in vera & recta, (vt ipsi affirmant atque demonstrant) non esse legitima perhibentur ab omnia mordicus tenentibus, quibus Romani Pontificis nomen & autoritas prætenditur. Sed omnes profecto qui adessent aut spectarent non aut profani aut dementes, quum reipsa actiones illas religiosissimas, tum specie esse præclarissimas, si quod sentirent vellent dicere, fateri cogerentur. Atque putaui inserendum hoc loco scriptum a Philippo Melanchthone de his compositum, omnium in Ecclesiis vicinis præsidentium, qui accersiti fuerant, nomine, cui & illi, vt fieri solet atque debet, subscripsere. *Gratias agimus Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, quod immensa bonitate & instituit inde vsque a conditione & restitutione generis humani & seruat omnibus*

ſæculis vsque ad reſurrectionem mortuorum, miniſterium Euangelii, & excitat ſubinde idoneos doctores, ac mandata dedit Eccleſiæ ſuæ, vt vocet idoneos miniſtros, & promittit ſe per eorum vocem daturum remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, vitam, & iuſtitiam æternam; & oramus eum, vt lucem Euangelii ſui non ſinat extingui, ſed nunc quoque excitet puræ & ſalutaris doctrinæ Euangelii propugnatores & fideles cuſtodes, & colligat ſibi etiam nunc in his regionibus Eccleſiam, a qua in omni æternitate celebretur. Quum autem ad hoc miniſterium Euangelii reuerendiſſimus & illuſtriſſimus Princeps, Dominus Georgius Princeps in Anhalt, Comes Aſcaniæ & Dominus in Bernburg, Præpoſitus Eccleſiæ Magdeburgenſis, rite & pie vocatus fuiſſet, ad functionem muneris eccleſiaſtici adiuuandam in Epiſcopatu Mersburgenſi, accerſiti ſunt vetere primarum Eccleſiarum more viri docti & graues, qui vicinas Eccleſias gubernant, quorum nomina infra aſcripta ſunt, vt in ipſa Eccleſia Mersburgenſi ad hanc vocationem adderetur publicum teſtimonium ordinationis. Nos igitur conuocati, quia certo ſciebamus, hunc illuſtriſſimum Principem Georgium recte intelligere & conſtanter amplecti puram Euangelii doctrinam, quam Eccleſiæ harum regionum vna voce & vno ſpiritu cum catholica Eccleſia Dei profitentur,

tur, & eximiam eius eſſe virtutem & ſanctitatem; teſtimonium noſtrum de eo, ritu Apoſtolico, impoſitione manuum, declarauimus, & ei miniſterium docendi Euangelii & adminiſtrandi Sacramenta commendauimus. Quumque Paulus Tito præceperit, vt presbyteros ad docendas & gubernandas Eccleſias paſſim conſtitueret; ſciat hic Ordinatus, voce Apoſtolica ſibi præcipi in hac functione, vt ſacerdotes ad docendas & regendas Eccleſias ordinet, & eorum doctrinam & mores inſpiciat, & meminerit ſibi quoque præcipi a Filio Dei: Et tu conuerſus confirma fratres tuos. *Et quum Filius Dei ſedeat ad dextram æterni Patris, vt ſit efficax per hoc miniſterium, precamur, vt in tota gubernatione regat & adiuuet hunc Ordinatum, ſicut promiſit, inquiens:* Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. *Et vt hac ſe conſolatione ſuſtentet Ordinatus ipſe, hortamur. Etſi enim multa & magna ſunt in gubernatione pericula, nec vlla eſt ſapientia humana par tanto oneri; tamen ſciat, Deum vere adeſſe, & in Eccleſia habitare, vbi vox Euangelii ſonat, eamque defendi & ſeruari a Deo. Hac fiducia ſuſcipiendi & perferendi ſunt tanti miniſterii labores. Datæ die tertia Auguſti anno M. D. XLV. in oppido Mersburg.* His ſua quique

que nomina, qui tum acciti præsentes erant, subscripsere, & est res peracta religiosa cum pietate & specie præclara. Qua indicata, ea pergamus narrando persequi, quibus postea quoque Philippi Melanchthonis implicatas considerationes, curas, operas, studium, industriam fuisse comperimus.

LXV. Conuenerat vt Ratisbonæ aliqui de iis negotiis atque rebus colloquerentur, quæ ad religionis sanctitatem instaurandam pertinerent. Huic actioni interesse, qui huiusmodi alias prius moderatus fuisset, Philippum Melanchthonem initio placuerat, literæque ad ipsum ea de re missæ paratum esse instructumque iusserant, vt iter statim, vbi nuncium illius accepisset, ingrederetur. Scripserant amici quoque alii, aliud admonendo subjicientes. In quibus leuia pleraque erant, de vestibus, de commeatu, & similia. Quæ quum illi curæ cordique non admodum essent, aliquantulum indignabatur, in tanto discrimine solicitari animos respectu ad tam parua, quum præsertim maiora minus attente considerari viderentur. Itaque constat, tunc responsiones ipsius ad quosdam fuisse stomachosiores. Sed consilium istud, de Philippo Melanchthone legando, præter opinionem omnium subito mutatum fuit. Ipso quidem haud ægre ferente; multi tamen neque

neque tunc probare, quum maximum periculum impenderet, remoueri Philippum Melanchthonem, & postea euentui infeliciori caussæ aliquid hoc dedisse arbitrari. Itaque qui delecti fuerant quum Lipsiam transirent, officii gratia Philippus Melanchthon eo vsque proficiscentes est secutus. Iam de Synodo indicta, cuius locus Tridentum designatus esset, varii rumores spargebantur, & nonnihil consultabatur. Fridericus etiam Palatinus, qui Ludouico fratri successerat, quod indies magis intelligeret, quo res ecclesiasticæ prolapsæ essent, neque post longam expectationem opem tam misere afflictis, non modo errore sed scelere & improbitate dominationis iniustæ, ferri cerneret, cessantibus iis quorum officium erat morbis illis mederi, ipse subuenire rebus laborantibus in suæ ditioni subiectis terris statuit. De quo quum ad Philippum Melanchthonem inprimis referretur, quumque non modo absentis consilium peteretur, sed literæ etiam mitterentur, quibus ille accersebatur, scriptæ clementissima & benignitate & humanitate, fiebat vt ad cogitationes graues de Synodo, non leues istæ accederent. Atque Synodum illam magis specie quam reuera indictam & inceptam, aliudque simulatum aliud cogitatum fuisse, quum aliis signis de-

prehenſum, tum adminiſtratione negotii declaratum eſt. Reginaldus quidem Polus, ſtirpis Regiæ Britannicus exul, in eorum numerum relatus quos Cardinales vocant, magna cura conſilioque graui & ex animo, vt videtur, perſcripſit, quid fieri ſeruarique in talibus cœtibus oporteret: isque liber nuper adeo eſt editus, ea quæ iamdudum non modo nutant ſed plane ruunt ſubſternens atque ſtatuens, perinde ac certa & firma. Conſultabatur tamen, vt dixi, ab iis, qui inſimulabantur ſeditionis in Eccleſia, tanquam Pontificia Maieſtate læſa & turbata Republica, quid a ſe, vt tali in re agerent, officium videretur poſtulare. Verum tunc quidem non admodum laborioſæ deliberationes iſtæ fuere; & aliis ad Danubium miſſis, Philippus Melanchthon in ſua quaſi ſtatione remanere cogebatur, neque concedi illi peregrinatio nedum migratio. Quibuscunque tamen modis potuit, inſtitutum laudatiſſimum illuſtriſſimi Principis patriæ ſuæ adiuvit, quum quædam conſcribendo de forma doctrinæ, tum mittendo, qui illi, exercendo adminiſtrandoque conſentaneas actiones, præeſſent.

LXVI. *Hoc loco interpoſita de ſequentibus præfatione quadam, diuidere*

dere & quaſi interpolare continuatæ narrationis ſeriem viſum eſt. Vt ſi quis forte hæc cognoſcenda putaſſet, & attentius legendo ſuperiora ſe ſenſiſſet defatigari, tanquam in longiore itinere, ſiſteret hic gradum, & paulliſper acquieſceret. Quum præſertim ea quæ reſtarent, magis quam priora, veluti in ſalebris alicubi hærendi neceſſitatem expoſitioni impoſitura eſſent. Vt mihi ipſi quoque occaſio quærenda fuerit, qua, ſicut Comici ſeruuli, quaſi reſpirarem & reciperem anhelitum, quo expeditius reliqua enarrarentur. Peruenit enim iam expoſitionis contextus ad demonſtrationem rerum magnarum & mirabilium, itemque grauium & habentium multiplicem mœſtitiam: quæ ſtatim, poſtquam Martinus Lutherus ex hac vita excesſit, motæ ſuſceptæque & geſtæ ſunt, turbasque eas dederunt & facinora ediderunt, quibus diuina & humana, cum pernicie maxima, labefactata & conquaſſata eſſe conſtat.

Atque audiui ego, ante mortem Martini Lutheri annis aliquot, quum sermones haberentur de dissidiis ob doctrinam & ritus ecclesiasticos factis, viros prudentes & autoritate singulari praeditos sic loquentes, vt ostenderent se, viuente Martino Luthero, nullam spem consensionis atque pacis concipere posse. Et comperi, nunciata morte ipsius, quendam Britannicae gentis, dignitate & honoribus praestantem, dixisse: arbitrari sese, illo tempore, maxime opportuno ad reconcinnandum diuulsa & dissipata componendum, propitii Dei benignitate, e medio abiisse eum, qui impedimento reconciliandae inter alienatos gratia futurus fuisset. Quanta autem sit humanarum mentium caecitas, quum contemplandis perspiciendisque praesentibus, tum impendentibus & futuris praeuidendis atque considerandis, hoc etiam casu cognitum fuit. Quem enim non pauci primarii viri obstare tranquillitati ac quieti solum opinati fuerant, eo

eo ipso remoto, maximae demum tempestates & eluuies, tanquam aggeribus ruptis, foedae extiterunt. Quanquam autem ista tempestas Germaniae potissimum oblata est, & hanc inprimis illa calamitas peruasit; non diu tamen post, incitata ingentium malorum vi alia quoque loca correpta fuisse scimus, & an non ad aliquos miseriae etiam deinde maiores pertinere possint, haud scio an exploratum sit nemini. Vt non debeat pro nihilo duci eorum notatio atque coniectura, qui suspicati fuere: quod illo die, quo Martinus Lutherus mortem obiit, in fastis ascriberetur Concordiae *nomen, eo omen tendere, vt concordiam interiisse significari videretur. De quo sane statuat quisque quod volet. Quae quidem iis temporibus, in quae incidit Martini Lutheri ex hac vita migratio, tractata & mox designata sint, qui animo cogitationeque percurret ac comprehendet, is deprehendet atque comperiet, maiores diffi-*

difficultates, & inhumaniores inimicitias, & iras vehementiores, & acerbiora odia deinde quum prodiisse, tum pergendo in sacris profanisque rebus strages edidisse eiusmodi, quarum & nunc detrimenta deplorentur, & quas secuturæ etiam infelicitates animis perturbatissimis metuantur. Quum sint autem liberæ de dubiis existimationes, vt alii aliud arbitrari concessum est, sic liceat, nisi fallor, putare: quod superstite adhuc Martino Luthero neque suscepta fuissent neque gesta ea, quorum cum sensu doloris nequaquam leuis meminimus, & indicia magis quam enarrationes a nobis deinceps referentur. Hæcque ipsa, habeo persuasum, recordanti, inclite Princeps Philippe, vel de meæ descriptionis subiectione, vel alia quacunque occasione, illustrissimæ virtuti sapientiæque tuæ excitatura esse sensus cogitationesque & animi motus varios atque diuersos: cui negotia actionesque omnes notæ, & cuius

ius in iisdem opera occupata, & exercitatus labor, & pericula versata sunt. Etsi autem interea & iracundiæ indignatio, & doloris quoque morsus, repetendo & veluti refricando nonnulla, haud abesse poterit: vt tamen præsentibus duris atque asperis rebus, secundum Euripidem,

Iucunda tristium ac malorum obliuio,

Sic profecto eodem autore,

Suauis est laborum præteritorum memoria.

Atque abiere sic pleraque, vt quum magnæ quidem iacturæ tum naufragia misera facta, sed recollectæ tamen res atque receptæ, & rursum Reipublicæ quasi nauigium instauratum sit. Quum quidem neque vexatio interim prorsus intermissa cessauerit, neque procellæ ventorum vehementiorum penitus siluerint. Nunc vero id scilicet agendum est, & illustrissimæ tuæ Excelsitati, & cæteris non modo in caussa coniunctis, sed quibus patriæ omnino & Reipublicæ

vniuersæ salus & incolumitas curæ est: vt recuperatæ tanquam ex desperato pene morbo sanitati & retentæ vitæ tuendæ detur opera, & caueatur ne denuo incidatur in eundem. Sunt autem ægrotationes magis & periculosæ & molestæ, in quas leuatus semel aliquis iterum delabitur. Me sane de ea ratione disputare, qua quasi bona valetudo Reipublicæ sustentetur, non decet. Facere tamen quin moneam nequeo, quamuis audacter vel temere etiam factum forte videatur. Post cultum quidem religiosæ pietatis, & veneration-

nem Dei æterni, & doctrinæ veritatisque cœlestis studium, nihil magis neque certius non solum tentationem prohibiturum, sed metum quoque malorum ademturum esse omnium, quam consentientium animorum illustrissimi ordinis vestri sinceræque amicitiæ necessitudinem, & mutuæ voluntatis officia, in procuranda communi vtilitate, & caritate patriæ præponenda con-

iunctio-

iunctioni, propinquitati, societatique humanæ vniuersæ. Hæc affectio, & istud propositum atque studium, non poterit non simul vera propriaque commoda singulorum complecti. Vnde etiam optima spes excitabitur, futurum vt sceleratæ audaciæ violentæ aggressiones, & dissolutæ vitæ turpitudo coerceatur, & ad grauitatem disciplinæ veteris mores reuocentur. Per quam diligentiam in genus humanum clementia, sicut per contrariam prauitatem ira Dei æterni, solet proferri atque incitari. Atque hæc iterum quasi prolocuti hactenus, ita deinceps reliquum in terris curriculum Philippi Melanchthonis veluti per vitæ ipsius spacium deducendo persequamur.

LXVII. His igitur temporibus, quæ inchoarent annum Iesu Christi M. D. XLVI. Philippus Melanchthon comes fuit Martini Lutheri, in suam patriam ad Dominos illius iter facientis. Vnde reuersis ipsis & prospera fortuna vsis, quum iterum sine Philippo Melanchthone profectus eodem esset Lu-

therus, mortem illic XII. Cal. Martii obiit: sibi quidem felicem, nam religiosa cum pietate & animo magno ac firmo placide decessit, plurimis tamen, & potissimum Philippo Melanchthoni, perquam luctuosam. Non potuit enim non mœrere eo amisso, cum quo annis XXVIII coniunctissime vixerat, & quem ob virtutes eximias colens dilexerat, cuique in perpurganda & illustranda doctrina Ecclesiæ fidelis socius & adiutor fuerat. Facta autem est supra mentio singularis & eximiæ amicitiæ inter hos duos. In qua vterque scilicet vitia alterius quum nosset, ita tolerauit, vt quamuis & tempora ad distractiones procliuia, & hominum leuitas dissidiorum cupida esset, caueretur tamen ne simultas existeret, ex qua alienatio animorum nasceretur, & diuelleretur vsus consuetudinis ac familiaritatis. Qui autem viros magnos & magna laude præstantes, si quid in eis vitiosum notetur, culpari putat, is nimis splendide de humana conditione sentit. Solius enim Dei est proprium, vt careat culpa; hominum vero natura hoc non fert. Erat Martini Lutheri ingenium acre & sagax, erat animus ingens & excelsus. Nunquam enim in timiditate & socordia, vel etiam fortitudine & solertia mediocri, ea, quæ egit, suscipe-

incurrunt, non fieri id sine quasi fragore quodam potest. Sane lubricum esse hoc loco veluti iter expositionis video. Nam apud quosdam Martini Lutheri nomen adeo odiosum est, vt auditum execrentur; contra nonnulli in illius dictis aut factis aliquid argui omnino pati nequeunt, & si quis hoc facere audeat, eum statim impietatis reum declamitando peragunt. Ego, quæ comperi & vera esse scio, ea commemoranda duxi, neque inuidiam veritus neque gratiam aucupatus. Qui quidem Martini Lutheri autoritatem & nomen ita celebrant, vt supra conditionem & modum generis humani non dubitent extollere, iis videndum, ne præstantissimi atque summi viri bonam existimationem tribuendo nimium diminuere, & suæ audaciæ ab illa excellentia præsidium quærere videantur. At isti insectatores, qui non modo omnia scripta illius damnant vt impia & turbulenta, sed nomen etiam auditum tanquam ominis mali detestantur; nunc etiam si quid cordis haberent, poterant reminiscendo considerare, quid acerbitate odii & contumacia peruicaciaque aduersandi & clamoribus vesanis effectum sit. Quorum enim vulnera sanandi caussa attrectantur, eos clamando & obnitendo sibi ipsis nocere constat.

ſtat. Poſſitque his narrari Aeſopica apud Ariſtophanem fabula:

Aeſopus a cœna redibat veſperi,
Hunc allatrabat improba & petulans canis;
At ille ad hanc conuerſus, o canis, canis,
Hac ſi repreſſa, ait, lingua tua mala,
Panes coëmeres, cor tibi eſſe crederem.

Et iſti, ſi, quanta inopia laborarent eorum, quibus religioſam pietatem abundare neceſſe eſt, reuocarent ad animum ſuum, ſique eis curæ eſſet, vt ſibi ac aliis ea copia pararetur, quam requirit vitæ ſalutisque conſeruatio, ſaperent profecto & rebus communibus ac priuatis conſulerent rectius. Sed (incidit enim ætas noſtra in fatalis cuiusdam conuerſionis quaſi articulum, quum neque admonitiones quicquam proficiant, & querelis inanibus dolor tantum augeatur) orationem noſtram ab inſtituta narratione recedentem non ſinemus excurrere longius. Et de his rebus ſilentes, vna cum cæteris euentus & ipſos fatales, vt mulierculæ apud Aeſchylum ſe facturas aiunt, perferemus. Martinus Lutherus, quo tempore diximus, mortem obiit, præſente infractoque animo & conſtante in ſanctitate religioſæ pietatis, reliquitque & ſuis & alienis deſiderium ſui ingens, quamuis ætate graui deceſſiſſet; (nam annum omnino LXIII. viuendo eum confeciſſe compertum

tum putatur) qui lugentes & ita tunc exequias funeris cohoneſtandas curauerunt vt his memoria nominis ipſius quam ſtudioſiſſime & officioſiſſime celebraretur, & magnitudinem doloris ſui gemitibus & lacrimis teſtati ſunt. In quibus Philippi Melanchthonis ſtudia atque officia eximiæ caritatis facile eminuerunt.

LXVIII. Sunt autem eæ res ſtatim conſecutæ, quibus aliquid quaſi remedii ab illo inueniri potuiſſe credebatur, vt tam difficili tempore eum deceſſiſſe magis deplorandum eſſe exiſtimaretur. Quum enim conuentus ad Danubium iam ageretur, & inchoatæ eſſent diſputationes de controuerſiis eccleſiaſticæ doctrinæ, inter eos qui de illis ſedate & moderate colloqui iuſſi fuerant, præpoſitis etiam viris dignitate & ſapientia præſtantibus negotio illi, a quibus omnia audiendo cognoſcerentur, & adminiſtrando ordinarentur; neſcio quibus certaminibus exortis, etiam perculſis vana, vt ferebatur, formidine quibusdam, quum eſſent reuocati Saxonici, cæteri quoque his adiuncti diſceſſerunt, & ita collocutiones illæ abruptæ ſunt, non ſineaduerſariorum criminatione & indignatione præſidum. Imperator autem inprimis factum hoc grauiter & iniquo animo tulit, & ad cætera putatur cogitando retuliſſe, quæ ad contemtum ſui &

maiestatem Imperatoris minuendam lædendamque pertinere arbitraretur. Instabant huic, qui Ducem Brunsuicensem conquerebantur bello iniusto petitum,& paternis auitisque terrarum possessionibus deiectum, interque conatus recuperandi sua oppressum captumque in custodia vel carcere potius detineri, nihil neque lenitate postulationis, neque iussorum seueritate proficiente. Huc accedebat demolitio castelli munitissimi, quod vicinum vrbi Brunonisuici tum demum inter actiones liberandi ducem placuerat dirui: & non paruus cumulus, Iulii de Ecclesiastico solio Naumburgensis Ecclesiæ depulsio. Ad indictum quoque conuentum non venire ii Principes, quorum suspicioſa erat voluntas in refragando sententiæ Imperatoris. Quibus omnibus irritatus ille induxisse putatur tandem in animum & constituisse secum, bello decernere & autoritatem Imperii sui armis defendere, ad quæ sumenda nullius instigatio hactenus eum adducere potuisset. Qui autem, ista occasione arrepta, Imperatoris iracundiam auxisse credantur,& auxiliis ad bellum pollicendis incitasse voluntatem, & dubitantem confirmasse, & cunctantem impulisse, (quum & occultius omnia facta sint, neque diuulgari ista conueniat, vel etiam multis de caussis oporteat) non profe-

retur

retur expositione nostra, parcente hominum personis, & refugiente consiliorum actionumque illarum indignam & inamœnam mentionem. Res quoque illa tota quomodo commota, susceptа, gesta sit, a me non differetur, hoc præsertim loco ad enarrandum minus idoneo, atque adeo alieniore. Ad Philippum quidem Melanchthonem,quæ durante adhuc colloquio agebantur, relata fuisse certum est, de cæteris alii in consilium adhibiti fuere. Afflixit tamen ista clades hunc grauissime, quum dolore Reipublicæ, tum plurimorum misericordia, quorum salutem & fortunas in periculum vocari ista horribili rerum perturbatione cernebat. Iudicii quoque ille & sententiæ contentione quadam mirifice angi. Neglectam enim esse veram & debitam communium malorum curationem non erat obscurum. Quam multa fraudulente & violente tentata designataque essent recordabatur. Neque eos,quibus Imperator tantopere irascebatur, non habere caussas non tam aduersandi ipsi,quam recusandi quædam præ se ferentia maiestatis eius imperium, arbitrabatur. Tum animo volvere crudelitatem sæuitiæ in excruciandis necandisque plurimis innocentissimis & optimis ex omni ætate sexuque & conditione hominibus, qui partim condemnati suppliciis

atrociſſimis affecti, partim odio immani adverſariorum paſſim interfecti eſſent, nullius delicti rei, niſi quod non omnia, quæ huius ſæculi approbatione gererentur, vſurpare, quæque affirmarentur vulgo, iis aſſentiri ipſi vellent, ac quædam etiam reprehendere & culpare auderent. Recens etiam tunc facinus patratum, animos plerorumque exulcerauerat, quod ſuperans immanitatem communium ſcelerum animaduerſionem meritam effugiſſe intolerabile videbatur. Omnium enim vna voce ferebatur, & Hiſpanum quendam, familia Diaſſium, nefario dolo ob diſſenſionem de Religione fratrem germanum obtruncandum curaſſe, ſe adſtante oculosque ſcelerato ſpectaculo ſatiante; & diligentia eorum, qui fugientem inſecuti fuerant, deprehenſum captumque, nihilo minus euaſiſſe neque tam impiæ cædis pœnas dediſſe. Iam ſententia Romani Pontificis excludens Archiepiſcopum Colonienſem communione eccleſiaſtica, & functione muneris privans, quo tenderet non erant coniecturæ dubiæ. Hæc & alia animo conſideratione que Philippi quaſi luctantia, & triſtitia euentus, quemcunque exitum res habuiſſet, nullam viro optimo & Reipublicæ amantiſſimo deque Eccleſia maxime ſolicito quietem concedebant. Bellum autem procedere videbat,

bat, neque apparere auertendi illius rationem vllam; præſertim, qui pacificando & ſeduli & fortunati ſæpe fuerant, e medio ſublatis duobus illuſtriſſimis Principibus, Alberto Moguntino & Ludouico Palatino. Nam quicquid hic aut ille vociferetur, hi profecto tanquam aggeres, ne bellorum veluti amnes Germaniam inundarent, obſtiterunt. Ita vndique conſilio opeque Rempublicam ad tranquillitatem retinendam deſtitui, perſpicue cernebatur. Etſi autem talibus temporibus & rebus magis quomodo ferantur quæ acciderint cogitandum eſt, quam indulgendum mœrori; fieri tamen nequit, quin boni & prudentes quum cauſſis tum triſtitia euentorum magnopere perturbentur. Neque enim ferrei ſunt vt non moueantur priuatis & publicis miſeriis, & quo attentius omnia intuentur & animaduertunt certius, eo perturbari illos vehementius neceſſe eſt. Non modo autem quanta pericula ab externa potentia imminerent prudentium conſideratione perpendebatur, ſed in ipſo apparatu belli maximi, quæ vel agebantur vel negligebantur, ea complures vereri cogebant, quid tandem futurum eſſet. In quibus non erat leuiſſimum, inter Saxonicos Principes gentiles gratia paullo ante ſic reconciliata, vt verbis quidem illi mutuam beneuolentiam declararent, con-

sensio autem animorum firma non esset, & offensionum memoria cautsæque suspicionum relinquerentur. Eos tum initio statim non quidem manifeste distrahi tanquam hostes, sed neutiquam vt socios coniungi apparebat. Nunciata autem sunt hoc anno & alia, quorum tanta esset fœditas tantusque horror, vt eis rerum omnium turpis atque terribilis confusio ac peruersio portendi videretur. Vt Andreani in Scotia Cardinalis iugulati interitus. Vt Mechlinii miserabilis, pulueribus tormentorum ictu fulminis incensis, vastatio. Nam quæ rumoribus vulgabantur ostenta atque monstra, ea hac narratione recensenda non putaui.

LXIX. Edidit libellum paullo ante hæc tempora Philippus Melanchthon, quo sane haud scio an nullus extet alius ipsius tam simplice libertate orationis compositus. In eo de Ecclesiæ disputatur autoritate, & libris, quos scripsissent doctores in Ecclesia, quasi censoriæ notæ apponi videntur. Id quod ab aliis aliter acceptum esse scio. Neque ego nunc de iis dicam, qui, quoties minus clementer attinguntur eorum vlcera, vociferantur atque clamant immoderate: quum quidem medicinæ leniori ipsi locum iam non esse intelligant, & secandi vrendique tamen cruciatus reformident. Hos igitur talibus disputationibus & isto libello offensos fuisse mirandum non est. Verum ego ex aliis quoque, in quibus essent neque a caussa alieni, & erga Philippum Melanchthonem affecti haud male, audiui, quum de eo libello sic loquerentur, vt illum aperte reprehenderent, tanquam audacius facientem iudicium, & nimis fidenter pronunciantem de iis rebus, quarum hominis priuati & vnius, quamuis sapientis atque docti, cognitio non esset. Ac memini ab vno præ cæteris notatum, tanquam propemodum temere ibi positum: veterum quosdam aliqua minus diserte exposuisse, quum sentirent commodius; quasi illi accusarentur vt infantes atque indocti. Verum enimuero, neque Philippus Melanchthon magis sententiam ferre pronunciareque illa tanquam iudex videtur, quam indicare potius quasi monitor & hortator, vt in omnium libris legendis, quorum humana autoritas est, meminerit aliquis sibi versandum circumspecte & attente. Quod ad elocutionem vero attinet, id tale scilicet est, vt si studium bene & proprie loquendi perpetuo tanquam castæ virginis pudicitia custodiretur, nihil opus esset istiusmodi admonitione. Nunc formam sermonis toties mutatam, & diuersis locis temporibusque

tam diuersum vsum illius videmus, vt sit omnino, quid a legentibus quique scriptores intelligi voluerint, consideratio necessaria. Vt autem vita moresque alii aliam orationem exprimunt, sic etiam orationis mutatio vitæ morumque affert conuersionem. De quibus, esset enim quum longum tum alienum, res in præsentia explicanda non est. Est autem hoc expectandum plane vniuersis, qui proponi sui cuiuscunque modi operis quippiam in publicum voluerint, vt non eadem omnium de illo sententia feratur, quum ex conuiuis ad vnas epulas inuitatis, *tres saltem dissentire* Poëta affirmet,

poscentes vario multum diuersa palato.

Vt qui fortunam hac in parte subire nolint, & nimis illius quasi rotam pertimescant, eos optimum atque consultissimum sit, nihil proferre neque edere, ac, si quiescere omnino nequeant, quin aliquod artis suæ, quam didicere, opus elaborent, continere domi istud, & secundum præceptum veteris tibicinis: sibi canere & Musis. Id quod mihi quoque scribenti ista ante oculos inque animo fuit, qui cernerem quanto cum periculo, vt communis omnium fieret lectio, hanc narrationem emissurus essem. Itaque sæpius in hoc descriptionis labore manus sublata est, & de opere tandem absoluto consilium edendi adhæsit. Venit autem mihi in mentem eius inprimis, quod grauissimus autor Plato scripsit; qui arcana naturæ, & ea quæ sola animi intelligentia comprehendi possunt, (ipse νοητὰ vocat) nequaquam mandanda literis scriptisque peruulganda censet, sed memoria cogitatione que retinenda, & contemplando apud se semper & disputando cum iis, qui studio eodem teneantur, agitanda esse. Atque ego non semel & de his similiter cogitaui, vel toto hoc scriptionis labore supersedere rectissimum, vel certe nonnulla, quæ in nostro scripto enarrantur, reticuisse me & pressisse silentio, melius esse; vt & nullum in discrimen veniremus, & cum iis tantum, quos constaret veritatem, religionem, pietatem, virtutem, doctrinam sapientiæ, ingenuas artes, eruditionem literarum diligere & magnifacere, hæc dissererentur, & recordando quasi ventilarentur. Sed vicit cupiditas mea proferendi in medium atque lucem omnia, quum præsertim indies eorum familiarium numerus, quibuscum istiusmodi sermones haberi commode possent, minueretur, & bona vel non mala saltem spes esset, compluribus non modo iucundam sed vtilem quoque fore lectionem scripti istius. Et ideo propter aliorum vel leuitatem vel etiam improbitatem, hos aut voluptate aut fructu

fructu cognitionis huius fraudandos esse non putauimus. Atque vt verum fatear, confirmato animo contra reprehensores & malevolos, opinionem mihi valde arridentem libenter amplexus sum, vt arbitrarer mihique persuaderem: bonis omnibus communicatione horum me rem gratam facturum esse, vtque ab illis bonæ existimationis de me & studiis meis quasi præmium, videretur neutiquam esse desperandum. Quum quidem tam hebes non esset acies mentis meæ, quin præuiderem, pro sua quemque affectione & sententia, hæc aut illa probaturum improbaturumue esse, neque defore, qui de aliis aliquid criminis inferrent, de aliis suspiciones concipiendo me accusationibus occultis verberarent. Quæ cuncta permittens Deo æterno, diligenter & fideliter expositionem istam perscriptam confidenter neque periculum pertimescens vllum edidi, profuturam, vt existimabam, vel posteris, si ad hos, ita Deo æterno volente, peruenisset.

LXX. His annis ex Franconicis ordinibus nobilitatis antiquæ & valde celebris generosus Comes Berthamensis Michaelus Georgii F. Michaeli N. vna cum auunculo suo, familiæ Limpergicæ & ipsius perantiquæ & nobilis, generoso Barone Christophoro, Wittenbergam venit, & inde huc ad nos sese con-

contulit. Quorum nomina vt huic narrationi insererem (quum & illustrissimorum Principum, & eorum qui generosi Comites, &, nescio vnde, Barones appellantur, maximus numerus tum Wittenbergæ longiore aut breuiore tempore degendum putarit) ea me mouerunt quæ mox dicentur. Sane Comitum Imperatoriorum esse eam dignitatem dubium non est. Nomenque istud Græci quoque retinuerunt. Barones autem suspicari fortasse liceat appellatos olim fuisse eos, qui apud Imperatores & Reges præ cæteris liberaliter & bene instituti pari quadam existimatione & honore censerentur, ob virtutis studia atque actiones. Cuiusmodi in regno olim Persico fuisse eos accepimus, qui ὁμόπτμοι & ὅμοιοι appellarentur. Nisi alterius forte linguæ istud nomen est. Germanicus quidem hos sermo ingenuos seu liberos Dominos vocat. Sed de hoc vnusquisque licet comminiscatur atque teneat quod libuerit. Comitis sane Michaeli & Baronis Christophori, in pueritia adhuc valde tenera & primis annis, ea indoles animaduertebatur, qua nulla esse posset melior. Modestia erat summa. Ad Deum & hominem pietatis studium, non ita vt ab institutione in cæteris pueris interdum eminet, sed suapte incitatione admirabile. Veneratio

tio & caritas præstantum sapientia virtuteque & doctrina virorum singularis; inprimis eius quo magistro vtebantur, cuius nutus etiam obseruabant, & quem immitiorem quoque ac duriorem non modo non auersari illi, id quod fieri plerumque scimus, neque ab eius vsu consuetudineque refugere, sed quum requirere absentem, tum præsentem habere in oculis, atque colere non secus ac patrem. Quod certissimum signum notabatur naturæ in ipsis optimæ, & animi humani atque mansueti. Itaque omnes præclaram de eis spem concipere, fore vt vna cum ætate virtutis in illis eximia pulchritudo & splendor ingens conspiceretur & eluceret. Nemo non illos admirari atque laudare, ac de eis omnes vno ore omnia bona dicere, gaudere aspectu ipsorum, conuictu lætari. Ingenium autem in Berthamensi Comite erat suauius, & ad studia literarum atque ingenuas artes videbatur esse aptius. Vtebatur apud nos hic doctore dialectices & excercitationum dicendi, instituto magistri sui, Iohanne Cratone Vratislauiensi, iuuene & ingenioso & docto atque erudito. Qui postea in Italiam profectus, quum Medicinæ arti perdiscendæ operam daret, hoc consecutus est, a vt præstantibus ea facultate viris & Professoribus artis præcipuis non modo fauorem & caritatem, sed

sed admirationem quoque & laudem adipisceretur. Inprimis Montani diligentem assiduumque auditorem atque discipulum se præbuit. Cuius celeberrimum nomen, edendis dictatis præclaris illius, reddidit ipse illustrius. Sed doctrina virtuteque eius indies magis eminente, quum ab aliis multis expeteretur coniunctio & vsus huius, primum suæ patriæ inseruiendum esse honestissima sententia censuit. Vnde postea abstractus alio, dignitate & honoribus auctus amplificatusque est. Habuit autem gloria, vt fit, comitem inuidiam, quæ secundum Poetam summa petit; perhibeturque cæca, quod obtrectando virtuti, & corrumpendo honores atque præmia ipsius, sibi illa quidem aliquid commoditatis quærat, sed plerumque peius noceat quam aliis. Est enim ea hæc bestia, quæ seipsam arrodendo consumit, suppliciumque, vt ait Poeta, suum est. Verum de Cratone & multas alias ob causas, & quod de nostratibus hominibus, qui adhuc viuerent, statuerim meas prædicationes minus effusas atque verbosas esse debere, plura modo dicenda non putaui; quum plurima commemorari potuissent, quibus merita laude celebrarentur, quum aliæ virtutes ipsius, tum experientia, studium, industria, & eruditæ doctrinæ copia. Vt igitur paullisper ad Berthamensis Comitis men-

mentionem redeam; huius quoque gratia Philippus Melanchthon interdum huc ad nos veniebat. Erat enim eius erga illum affectio amoris præcipua, & expectatio summa futuræ gubernationis, quæ in ipsum vnicum hæredem illustris generis & nominis, vna cum possessione terræ Berthamensis, incumbebat. Quapropter immatura mors ipsius (quam obiit coniunx quidem ille, sed neque relicta sobole quæ ipsi succederet, & ætate adhuc admodum iuuenili) a nobis omnibus deplorata est, & sunt ei iusta facta doloris acerbi, Reipublicæ potissimum respectu, cui illud præsidium, vel certe subsidium, tam difficilibus rebus & dubio statu, de improuiso esset ereptum. Verum iam post hanc quoque digressionem, reducatur tandem ad institutum argumentum oratio, & prioribus reliqua adiungantur.

LXXI. Bellum igitur illud, de quo verba facere cœperamus, calamitosum & infelix, instar tempestatis maximo impetu coortum incitari, & scriptis quibusdam editis odia alienationesque fieri maiores. Qui mos nequaquam bonus iam vsu erat confirmatus. Nam vbi aliqui se iniuria lacessitos arbitrabantur, mox prodibant libelli & inceptum caussamque defensitantes, & aliorum audaciam atque vim accusantes, quibus non modo

do probra contumelioſe, ſed inſectationes quoque minaciter ingerebantur. Idque quod exemplo fieret, iure iam fieri putabatur, & hoc modo caueri ſuæ quisque exiſtimationi bonæ & honeſtati nominis cenſebat. Ego vero ex viro noſtræ ætatis prudente, & verſato in grauiſſimarum rerum tractatibus, id audiui, commemorante patris ſui ſermones, quod ſcriptum eſt eadem prorſus ſententia in Plutarchi Timoleonte, hoc ferme modo: Plerique eo ſunt ingenio vt maledictis grauius quam malefactis offendantur. Iniquiore enim animo contumeliam ferunt quam damna. Seque manu defendere in bello conceditur, vt neceſſarium; conuiciorum autem petulantia de ſuperuacanea & nimia improbitate & odio exiſtere putatur. Sed, quod pace dicatur patriæ, haud ſcio an non ſolum hac in parte, verum aliis plurimis, externi mores inuecti conſtantiam & grauitatem veterem gentis diſſoluta vita & corruptis moribus quaſi eneruarint. Nam quum ſuas virtutes minus iam admirarentur, propriaque bona tuerentur noſtri homines negligentius, placeretque eis fucata magis quam naturalis ſpecies, non dubitarunt ſeſe alieno nitore quaſi oblinere; vitiaque ſua tanquam morbum, indulgendo cupiditatibus, fouere, donec ſanitatem pene perdiderunt, & ab integritate

præstantiaque maiorum suorum prorsus receſſerunt. Non modo cladibus sane ingentibus, sed impetus sæuitia quadam, & triſtitia adminiſtrationis, denique rebus modisque omnibus bellum hoc horribile fuit. De quo poſtea cogitantibus nonnullis scio in mentem veniſſe, & fuiſſe in ore, verſum oraculi, cuius ſententia eſt: Plorare victos, perire victores. Diſsipatis copiis, quæ contra Carolum Imperatorem Rom. fuerant contractæ & eductæ in expeditionem, quædam illarum pars in has regiones retracta nouum bellum inchoauit: quam veluti incendii flammam inopinatam, qui reſtinguere noluerunt quum poſſent, aut furorem illius aluerunt etiam, iis quæ gratia debeatur a nobis dici non eſt opus. Non defuere sane Principes aliquot, inque iis Princeps Elector Ioachimus Marchio Brandeburgicus, qui pacificationi ſtudioſe operam darent. Hanc etſi primum odio & iracundia flagrantibus animis ſimpliciter reſpuerunt, poſtea tamen eo peruentum aſſiduitate eſt, vt non multum abeſſet, quin reconciliata gratia inter diſsidentes, efficeretur, ne tam lacrimabiles caſus & euentus indigni ſequerentur, neue eo res euaderet, vt nullus iam locus eſſet vel conſilio vel auxilio. Heſsiaci quoque legati ſtatim initio tentarunt, poſſetne intercedendo belli impetus averti,

verti, & quum laborantibus rebus ſuccurri, tum malis, quæ impendere non eſſet dubium, miſeriisque futuris occurri. Memini communicatis his cum Philippo Melanchthone, & quibusdam ſcriptis, quibus conditiones quædam pacificationis quaſi informarentur, ei oſtenſis, petitum eſſe, vt ſuam ſententiam & ipſe indicaret; eumque reſpondiſſe: caput ſibi videri omnium, vt Imperator placetur. Ad quam ſpem ante cuncta neceſſarium eſſe ſe arbitrari, vt Principes aduerſarii Cæſari fiant ſupplices. Tunc, inquit, petetur ſcilicet, vt fœdus inter ipſos & ciuitates ictum diſſoluatur. Hoc aliqui, donec poterunt, fortaſſe impedient. Sperare quidem ſe aiebat, deprecatione aliquorum Principum a Cæſare pacem impetrari poſſe, ſi debita reverentia omnium res agatur. Erat in conditionibus, quarum paullo ante mentionem fecimus: Ne doctrina contraria & exploſa, deinceps damnaretur aut exagitaretur, ante cognitionem legitimam. Ad hoc obligari neque debere neque omnino poſſe cenſebat vllos. At ſi expreſſe poneretur: Nullos Principes aut Ordines turbare velle ditiones Epiſcoporum, aut aliquid eis adimere, aut nouo onere onerare, credo, inquit, ita Cæſarem placatum iri. Erat & hoc in illis conditionibus: Diſcerni cauſſas profanas & doctrinæ veritatem

tem oportere. Id sapienter & recte cogitatum positumque esse dicebat. Nam inconcinne quædam permista esse multos perhibere, &, si profana explicarentur atque componerentur, vt verbi caussa cum Duce Brunsuicensi controuersia, sperare se hoc plurimum momenti ad mitigandum Cæsaris animum habiturum. Sed hæc tunc fruſtra susceptа & tentata sunt.

LXXII. Oppugnata est Lipsia & defensa aduersus vim tormentorum, cuius neminem audiui qui similem ad vrbem vnam adhibitam cognouisse se diceret. Præsidio autem Wittenbergæ impositо, iam plerique ordinis scholastici, tanquam parum opportuni incolæ illo tempore, abscesserant, errabantque passim in Saxonicis fere regionibus, aliquibus perbenigne eos recipientibus, quum nonnullis parum gratus esset aduentus illorum. Paullo post, nam proximo anno Christi M. D. XLVII. hæc sunt gesta, & Rochlicii deiecto præsidio, cui Albertus Casimiri F. Marchio Brandeburgicus præerat, ipsoque capto, Imperator inuitus, vt perhibebatur, accessit cum exercitu altero; & Iohannes Fridericus vel minus cautus nimisque securus in tam arduis negotiis atque rebus, vel aliorum consiliis rationibusque inductus, vel quocunque tandem pacto, celeritate & vigilan-

gilantia & feruore quodam aduersariorum, Mulbergi, quod est oppidum ad Albim fluvium, vltra quem traductis suis illic castra locauerat, oppressus victusque, & ipse fuso, profligato, cæso exercitu, fortissime dimicans, neque a suis recedens, vulnereque aduerso grauiter saucius, ita captus in potestatem Caroli Imperatoris venit. Auditum est postea Imperatoris Ferdinandi, qui tunc in exercitu, & deinde fratris Caroli V successor fuit, honestissimum testimonium virtutis & constantiæ Principis huius, interque alia & hoc: Si omnes, quos secum ille tunc habuit, tam fortiter atque ipse dimicare, & sustinere animo præsente hostilem impressionem, & vim repellere voluissent, vix futurum fuisse, vt eo ille die superaretur atque caperetur. Fuit eo die quo prælium istud commissum est, & ante illum pene tribus, solis tetra facies, impediente lumen & eminentiam radiorum denso rubore, qui & in tectis ædificiorum & parietibus cum omnium intuentum stupore quodam relucebat. Ego qui tum & ipse, vt mei gregis plerique, cum familia vagabar, illo tempore Wurcepurgi eram, quo me post peregrinationem longam & iniucundam contuleram ad præstantissimum dignitate, virtute & sapientia Danielum Stibarum, mei amantissimum, cuius & tunc & aliis tempori-

bus meis nobili viro dignam fidem, & erga me benignitatem ſum expertus, & rebus cæteris, & in hoſpitio domeſticoque vſu ipſius, cuius tum fructum cepi quamdiu mihi, non illi, libuit. Nam mirifice me retinere diſcedentem nitebatur. In hac mentione fui longior, (quum & D. Stibari meritas laudes alibi extollere, & coniunctionem amicitiæ noſtræ non ignorari ſtuduerim) quod noſtrum ordinem & genus ſcholaſticum a quibusdam, qui ſtantes coluiſſent, iacens & proiectum non admodum fuiſſe ſubleuatum comperierim. Sed ita fieri ſolere ſcimus, vt diligantur felices, miſeri deſerantur. Ego igitur tum, non optima valetudine vtente D. Stibaro, in cubiculo ipſius prima nocte eandem ſpeciem quaſi tinctam ſanguine conſpexi lunæ, iisque qui aderant demonſtraui, vna mecum admirantibus colorem illum in luna, quæ quadrati in circulo lateris ſpacio pene a ſole abeſſet, globo propemodum dimidiato, quando illa inſigniter colorari non conſuevit. Hæc minus apta huic argumento videri, vt opinor, non debent. Quum enim inſtituta ſit de Philippo Melanchthone narratio, quid temporibus ipſius acciderit, quod & ab illo conſideraretur notareturque inprimis, & eum afficeret atque excerceret, indicandum eſſe ſum arbitratus. Quibus narrationibus ſi inſe-

inſeruiſſem interdum aliquid de me, neque hoc alienum aut abſurdum viſum iri ſperavi. Quum haud ſcio an nihil aliud ei curæ cordique vnquam, ex quo inter nos amicitiæ vſus cœpit, diſcedenti illi quidem a domeſtica neceſſitudine, æque fuerit, atque ego & res meæ. In quo tamen eum ſeruaſſe nos modum intelligi confido, vt attingendo omnia hæc perſtringerentur, non diſſererentur explanando.

LXXIII. Philippus Melanchthon in hac quaſi tempeſtate tectum ſubiit oppidi Zerbeſtani, quod eſt ditionis Aſcaniæ. Cuius illuſtriſſimæ Domus clementiſſimam benignitatem, quæ & ipſa tum in diſcrimen non mediocre veniebat, perpetuo ille ſenſit. Atque ſcimus, non minori curæ fuiſſe Principibus illis ſalutem incolumitatemque Philippi, quam ſuæ dignitatis fortunarumque conſervationem. Quum in Saxonia debellatum, & res illæ ex Imperatoris Caroli ſententia atque voluntate, itemque Bohemica negotia pro Regis Ferdinandi arbitrio compoſita perfectaque eſſent, Philippus Landgrafius in Haſſia, ſumma cupiditate vbique ſtabilis & certæ pacis, autoribus potiſſimum Principe Electore Brandeburgenſi & Duce Mauricogenero ſuo, ſeſe & ipſum deditione facta Imperatoris fidei permiſit, & ad imperandum

accersitus, in vrbem Saxonicarum Salinarum, ibidem (quod neque ipse tum metuebat, neque quisquam fuerat suspicatus ex iis, qui pro illo deprecati persuaserant ipsi, vt clementiam potius Imperatoris semel, quam iterum vim & arma experiri vellet, quique sane cunctantem eum in tales angustias deduxerant) in custodiam datus, & duriter habitus, parumque liberaliter humaniterque tractatus est. Quæ sic instituta, conformata, acta esse, credibile est postea aliquos pœnituisse, qui vel suasere, vel administrarunt, vel etiam gesserunt. Verum de his & aliis, quæ tunc bello confecto consulta factaque fuerunt, ne vel indicii caussa, sicut de aliis, verba faciendo essem longior, per mihi multa obstiterunt; sed omnium maxime dolor & mœstitia animi in recordatione eorum, quæ quum non possem in veritatis commemoratione ordine & recte esse facta perhibere, ne criminando tamen exagitarem, aut quamuis leniter reprehenderem, pudoris mei esse censui, &, quid adeo vel iucundi vel fructuosi habituræ essent narrationes istæ, non sane videbam. In hoc motu ferebatur tanquam nauis procellis ventorum optimus vir Philippus Melanchthon, & ea audiebat, cognoscebat, cernebat, habebatque etiam in manibus, quibus grauissimæ curæ maximæque anxietates & dolores summi cum ingentibus laboribus ipsi imponebantur, adeunti interea & vitæ pericula, & facultates consumenti; quod sine vlla parsimonia & pene ratione tribueret & largiretur, quicquid habebat ac corradere potuisset, egentibus aliis. Ita ille & in naufragiis rei familiaris, & difficultatibus comitatus, & vario multipliceque metu non tam de se & suis quam alienis, qui se ad eum applicuerant, tanquam fluctibus maris iactabatur.

LXXIV. Confecto bello in Misnia, Imperator Carolus per Salinas Saxonicas & Pabepergam iter faciens, cum omnibus copiis Norimbergam peruenit. Atque illac quum traduceretur victor exercitus, tota vrbs aræque & foci, vtque dicitur, diuina ac humana in potestate Caroli fuere. Quosdam sane ex ordine ecclesiastico metu tum valde debilitatos fuisse constat, qui belli tempore liberius se locutos, & scribendo literasque mittendo fuisse incautiores non ignorarent. Ii etiam sermonibus quorundam magis exterrebantur, a quibus & pericula augeri verbis, & admonitionis solicitudine animis perculsis trepidatio formidoque maior incuti. Erat tum illa in vrbe habendis ad populum concionibus celebris Vitus Theodoricus, ciuis ibidem. Hic a primis adolescentiæ annis

magnam partem ætatis Wittenbergæ in ſtudiis piis ac liberalibus abſumſerat, perfeceratque diligentia, obſeruantia atque induſtria ſua, vt præcipui in illa Academia, & eccleſiaſticæ ſcholaſticæque rei capita, quum expeterent vſum familiaritatis ipſius, tum valde eum diligerent. In patriam autem reuerſus & vxorem duxit, & concionum mandato munere ſic functus eſt, vt ad ipſum audiendum concurſus fierent multitudinis tantæ, quantam omnino templum, vbi verba facere ſolebat, caperet. Affligere eum morbus celeriter cœpit, in quo acerrimos cruciatus artuum perpeſſus eſt. Quumque recuperandæ ſanitatis cupiditate variam opem a medicina peteret, & tandem aquas natura ſua calidas placuiſſet experiri, ita paullo poſt mortem obiit. Sed illo tempore æger, pedibus adeo eneruatis vt ingredi non poſſet, ſibi quoque ne quid accideret grauius, magnopere timebat. Confirmatus tamen & ipſe a ſe, & amicorum oratione, quamdiu in illa vrbe Imperator manſit, neque conſpectum deinde vitauit vllius, neque aditu quenquam prohibuit, & fuit animo præſente atque magno. Sed ab Imperatore Carolo erga neminem vllius ordinis, loci, generis mortalem, conſultum factumue eſt quicquam, quod non modo manifeſtæ acerbitatis dolorem, ſed

ſed querelæ etiam occultæ deplorationem haberet. Quamuis, vt ferebatur, non deeſſent, qui Imperatorem, vehementer inſtigando, conarentur eo impellere, vt illa occaſione vtens exemplum ederet in ciuitate præcipua iuſtæ iræ & congruentis tempori ſeueritatis. In quo quidem compertum eſt, non tam exiſtimationi & rationibus Imperatoris proſpectum conſultumque aliquos voluiſſe, quam ſuum emolumentum commoditatesque priuatas quæſiuiſſe. Verum Imperator, quemadmodum diximus, neque ipſe quicquam egit aut ſtatuit triſtius in quenquam, neque a ſuorum aliquo lædi, aut damno, iniuria, moleſtia affici vllum paſſus eſt, & ita tranſiit, vt nemo ne ſuſpicari quidem poſſet, voluntatem eſſe ipſius ab illa ciuitate alieniorem.

LXXV. Ego tunc, quum a Stibaro diſceſſiſſem, conſederam Norimbergæ. Quæ ciuitas & erga me perquam benignam liberalemque ſe præbuit, & obtulit hoſpitii copiam Philippo Melanchthoni munifice. Sed hic tandem & ipſe redeundum ſibi Wittenbergam ſtatuit, & vt eodem ſe reciperent, aliis quoque non leuibus cauſſis motus, ſuaſor hortatorque fuit. Etſi enim illuſtriſſimi Principes Duces Saxoniæ mandato Patris, qui Imperatorem ſequi cogebatur, in Durin-

gia

gia congregabant dissipatas & vagas Musas, & sedem his Ienam ad Salam amnem oppidum designauerant; & Philippus Melanchthon lamentabilem casum Principis, pietate eximia erga Deum & patriam præditi, vtque generis splendore sic omnis virtutis claritate illustrissimi, largis lacrimis deplorabat, neque venerari cessabat animo suo profligatum, cui florenti seruiendo summa diligentia ac fide præsto fuisset: quid tamen non sibi sed aliis compluribus esset profuturum, & res atque tempora ipsorumque adeo Principum rationes ferrent, omnibus momentis suis ponderans quasique examinans, suo sibi loco, tanquam in turbine tempestatis, secundum vetus nostræ gentis verbum, permanendum, consistendumque esse duxit. Verum illuc & tunc & postea eruditione doctrinæ & ingenio optimarumque disciplinarum & artium scientia præstantes viri se contulerunt. In quibus celebritate nominis excellens fuit Iohannes Stigelius, liberali cognitione & virtute atque sapientia & facultate carminum, non facile alteri vlli suæ ætatis cedens, vir animo excelso præditus, & patriæ suorumque in ea Principum ita amans atque studiosus, vt illustre exemplum ipsius in hac parte pietatis eximiæ proponi posse videatur. Confluxerunt tamen eodem & alii, qui vt temporibus illis admissi, sic aliquanto post multo libentius dimissi fuerunt. Quorum insolentia atque peruersitas bonis & probis & vtilem operam dantibus multum negotii fecit, & malitia nonnihil creauit periculi, & quum animos quorundam mœstitia & angoribus, tum fortunas ac corpora damnis & cruciatibus afflixit. Neque abhorret a vero, indignationis dolorisque perturbationem, quem aliquot annis ceperat Iohannes Stigelius, ex necessaria magis quam expetita coniunctione nonnullorum, perculso ei debilitatoque celerioris mortis caussam dedisse; quem quum adhuc in his conscribendis occuparemur, lugebamus, virum & amicum summum, & plurimorum scriptis epitaphiis aliisque mentionibus lugubribus dolenter deploratum. Eodem tempore excluſus dudum Ecclesiæ communione, decreto Pontificis Romani, reuerendissima canitie innumerabilibusque laudum nominibus illustrissimus Princeps Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, etiam gubernatione terrarum priuabatur mandato Imperatoris Caroli. Qui ne belli aut cladis alicuius repugnando nouam tempestatem excitaret, cessit volens, & eorum, quibus æternæ salutis & vitæ copiam studuisset conciliari, corpora fortunasque cruentis gladiis & sæuitiæ immani hostium obiici

obiici noluit. Quam moderationem atque pietatem, etsi laude dignissimam, ipsique adeo ad reliquæ vitæ optandam quietem opportunissimam esse Philippus Melanchthon videbat, non poterat tamen dissolutione eorum, quorum instituendorum ipse socius atque particeps fuisset, non vehementer perturbari. Augebatur ægritudo tristitia nunciorum de amicis, quorum aliqui eiecti sedibus suis & dignitate fortunisque spoliati exulabant, aliqui capti in custodia tormentisque detinebantur. Quorum præcipui indicabantur Iohannes Brentius, qui concionibus sacris præfuerat in Salinis Sueuicis, quique Tubingæ Erhardus Schneppius, & Vlmæ Frechthus, & Chembergi (oppidum hoc est vicinum Wittenbergæ) præpositus Ecclesiæ venerabilis senex, Philippoque singulari necessitudinis & familiaritatis vsu deuinctus.

LXXVI. Iam Mauricius Dux Saxoniæ periculo liberatus, atque modo dignitate Septemuiratus auctus, de restituendis Academiis ambabus, & recolligendis iis qui discesserant, & reparando otio studiis, sedulo diligenterque cogitarat & egerat; fueratque Lipsiam accersitus Philippus Melanchthon, vbi ad necessarias deliberationes Ordines terræ subiectæ Ducis Mauricii potestati conuenerant. Neque ille Wittenbergam sibi decessione sua relinquendam, ac multorum potius rationibus atque vtilitatibus consulendum, quam sibi peculiari respectu videndum esse duxit. Cuius consilii atque sententiæ, a plurimis improbatæ atque reprehensæ, nunquam eum pœnituit. Neque illa prudenter cogitata casus vllus, quod interdum fieri solet, deinde quasi infuscando contaminauit. Fieri autem aliter non potuit, quam vt sciissa studia hominum rebus ita, quemadmodum strictim indicauimus, gestis diuiderentur, & voluntates essent diuersæ. Atque inuidiosæ omnino actiones quædam erant, eæque ab æmulis, vt fit, acerbis criminationibus infamabantur, iis potissimum, quibus neque exploratæ illæ essent, & qui in eam partem, vnum vituperando, laudando alterum, cupide prolaberentur, in quam propendens affectio impellebat. Iamque Imperatore Carolo disceptationes de Religione eo deducere contendente, quo multis annis & magno labore conatus esset, & Augustæ Vindelicorum iussis adesse Principibus & Ordinibus Imperii, quum ante conuentum se Vlmæ acturum edixisset: Augustæ igitur Imperatore Carolo postulante, vt vniuersi Synodi decretis se obtemperaturos esse promitterent, maleuorum sermonibus spargebatur, a Duce Mauricio hanc promissionem commoditate orationis obtinuisse

isse Imperatorem, cuius fauorem, vel maxime liberandi Soceri ille caussa, retinere vellet. Idque actum esse in priuatis collocutionibus. Est autem genus quoddam hominum sane leue, qui de maxime occultis atque abstrusis audacissime pronunciare & affirmare non dubitant.

Hi simulant se scire omnia, nec quicquam sciunt,
Quod quisque in animo habet aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem rex reginæ dixerit
Sciunt, vt ait Senex Plautinus:
Quæ neque futura neque facta sunt, tamen ii sciunt.
Falsone an vero laudent, culpent, quem velint,
Non floccifaciunt, dum illud, quod libeat, sciant.

Atque iisdem, ibidem dicitur, nihil esse stultius neque stolidius, neque mendaciloquius neque argutum magis. Atqui neque tunc neque vllis in tractationibus aliis compertum est, neque planum fieri potest: Ducem Mauricium vel pollicendo vel approbando vel assentiendo integritatem sinceræ Religionis labefactasse. Hinc tamen quum ad Philippum tum alios, qui ab illo non discedebant, aut ei non maledicebant, inuidia manare, iique, quasi caussam proderent, seque retexerent, & a veritatis assertione deficerent, plane impietatis accusari. Id quod illo quidem tempore & recentibus belli stragibus timidius occultiusque, aliquanto autem post audacius magisque impudenter esse factum scimus. Atque primum quidem hæc disceptationum de Religione, cuius paullo ante meminimus, difficultas expedita fuit ab iis, qui in Synodo congregati decreta facere cœperant. Nam tanto bello occupato Imperatore Carolo, quod ad defendendam & tuendam Synodum geri prædicabatur, Tridento Bononiam subito est discessum. Quam migrationem Imperator iniquissimo animo tulit, & interpetans Synodi dissolutionem, autoribus adiutoribusque huius vehementissime succensuit. Misitque ea de re legatos ad Pontificem Paulum, & ad eos qui Bononiam se contulerant: nam Tridenti restiterant aliqui, inprimis Germani. Sed ea responsa data sunt, quæ & Imperatoris expectationem frustrarentur, & vnde liquido perspiceretur, Pontificiis qualescunque Synodi actiones procedere, atque confirmari, in animo fuisse nunquam.

LXXVII. Quum Philippus Melanchthon se Wittenbergensem Academiam non deserturum esse statuisset, rursum cœpta est

ibi doctrina publica instaurari & frequentari. Lipsiæ autem etsi restitutio omnium magis in procliui erat, desiderabatur tamen opera diligentiæ absentium adhuc quorundam, mortuo præsertim, cuius antea quoque a me mentio facta est, Caspare Bornero Theologo. Qui quum præsentissimo fortissimoque animo toto oppugnationis tempore in vrbe remanens scholasticas ædes pro virili sua tueri, & publicam priuatamque aliquorum supellectilem conseruare anniteretur, defatigatus nocturnis diurnisque laboribus, & contagione læsus (nam lues inuaserat promiscuum vulgus, quod sub vrbe, tuguriis exustis, aduentante exercitu oppugnaturo vrbem, in spaciosis locis & fere vacuis ædium illarum raptim consederat) & vigiliis, & victus cultusque negligentia, atque potissimum mœrore & indignatione debilitatus, in morbum, acquiescente iam aliquantulum animo, & metu periculi depulso, incidit; quo confectus obiit mortem, cum bonorum omnium deploratione & ingente mœrore, anno Christi M. D. XLVII. III. Non. Maii, annis nondum grauis neque effœtus ætate. Neque ego hoc viro cognoui, neque extitisse vspiam alterum existimo, dignitatis vtilitatumque suarum minus studiosum, dum rem scholasticam publice stabiliret, augeret, amplificaret, ornaret.

Itaque illius memoriam nulla dies delebit, quamdiu literæ eruditæ loquentur, quibus non modo huius viri doctrina, quæ fuit eximia in omni genere disciplinarum, sed integritas, amor veritatis, fides, virtus, sapientia celebrabitur. Vetus & singularis cum hoc necessitudo fuerat Philippi Melanchthonis, qui tunc non modo lugebat amici præcipui mortem, sed requirens rebus dubiis & negotiis impeditis vel ducem peritissimum, vel comitem gratissimum consiliorum actionumque omnium, societatem coniunctionemque sibi talis illo tempore viri ereptam esse in maximæ tristitiæ sensu querebatur.

LXXVIII. Interea Carolo Imperatore omnibus viribus annitente, vt Synodus inchoata Tridenti ibidem perficeretur, & Pontifice atque iis qui Bononiam transierant refragantibus, proque sua autoritate & iure, respondendo postulatis Imperatoriis, acriter propugnantibus: Imperator reputans, neque se dignum, intermitti illarum rerum tractationem, quarum maxime caussa tam periculosum & graue bellum susceptisse ipsum gessisseque asserebatur; neque suis multiplicibus promissis de controuersiarum ecclesiasticarum cognitione consentaneum esse, relinqui tunc quoque, quum nemo voluntati ipsius aduersari posset, incerta, dubia, litigiosa omnia,

mnia, Pontificiis tam manifeſte tergiuerſantibus; cum quibusdam deliberata re, conſilium cepit, excerpendi quædam ex iis ſcriptis, quæ ſuperioribus annis ad concordiam diſſentientium de religione fuerant non tam abſoluta atque comprobata quam inſtituta & propoſita. Atque ita rurſum liber paucorum quorundam clandeſtina & tenebricoſa opera congeſtus &, vt vetere verbo vtar, conſutus fuit; quo præſcribebatur, quid interim, dum decreta Synodi prodirent, fieri ſervarique oporteret, ab iis quidem, qui in doctrina Eccleſiæ & ritibus viſitatis aliquid innovaſſent. Vnde liber ille quaſi tituli nomine eſt vocatus *Interim*. Et dedit facetis multa ſalſe dicendi occaſionem. Quum quidem neutri parti placeret, & vtrique, etſi non eodem modo atque propoſito, eum repudiarent. Suntque poſtea multo maiores & deformiores diſſipationes atque etiam ruinæ conſecutæ. Conuenerat autem & eo conſilio prolatus fuerat iſte liber, vti ne a Pontificias quidem partes ſequentibus improbaretur, vtque adeo Pontifex ipſe vel concedendo indulgendoque, vel diſſimulando & conniuendo, illum admitteret. Atque mirabantur plerique, a quibus vera conſideratione res perpendebatur, Carolo Imperatori perſuaderi potuiſſe, vt in eam ſententiam rationem-

onemque incumbendum putaret, quam pro ſagaciſſimi animi prudentia, & diuturna experientia, quod ſimilia negotia quo euaſiſſent non ignorare poſſet, videre intelligereque deberet, neque re ipſa conſiſtere ac valere, neque temporibus congruere, magisque ac citius nouas contentiones atque pugnas commoturam, quam certamina atque rixas priores ſedaturam eſſe. Sed occæcantur nimirum animi maximorum quoque & ſapientiſſimorum virorum, quando infringi ſuam vim fata non volunt. Sane conſtat, vrgendo minime clementer, ac admodum potius imperioſe, iuſſa de recipiendo libro illo & præſcripta in eo exequendo ad omnes Ordines delata, & tanquam de his conſenſiſſent vniuerſi, neque recuſationem, neque preces, denique nihil quod contradiceretur, admiſſum eſſe. Neque defuere, qui inſidioſe etiam quædam tentata factaque fuiſſe perhibere non dubitarent. Tum quidam, & ii potiſſimum quos ſupra nominaui, & cæteri, qui iis nollent aſſentiri, quæ eſſe contraria veritati haberent perſuaſum, afflicti atque vexati fuere; quum & aduerſus Philippum Melanchthonem Caroli Imperatoris ira iam eſſet ſuſcitata, cui tunc ſuccenſendi vehementius ille etiam ſtimulus fuiſſe credebatur, quod tales compoſitiones ipſi diſplicere, ad Impe-

ratorem odioſe deferri, cum inimica tam de præteritis quam præſentibus oratione, animadverteretur. Atque tunc eorum, qui Philippum Melanchthonem oderant, machinationibus vita eius eſt petita; eademque protecta ab amantibus illum, & quibus viri innocentia atque probitas nota erat. Neque defuere qui ſuſpicarentur, talia diuulgari perterrendi Philippum Melanchthonem cauſſa, ne conſiliis actionibusque recentis conciliationis reclamando officeret. Sed & ille in præſente diſcrimine, & incolumitas ipſius rebus communibus tunc conſeruata fuit.

LXXIX. Hoc anno ad grauiſſimas Philippi Melanchthonis curas de rebus communibus, & rei domeſticæ labes, & ingentem triſtitiam propter Eccleſiæ vulnera, nouus dolor acceſſit nunciata morte filiæ Annæ, quam & cariſſimam patri & a marito Georgio Sabino in Pruſſiam abductam fuiſſe, accerſito a Principe Alberto, ſupra diximus. Eum tamen caſum tulit ille moderate, vt antea quoque indicauimus, & magis toleranter quam amici laturum eſſe ſperare potuerant, qui ſcirent quanta amoris paterni erga illam fuiſſet affectio. Sed meditatione euentus, & quodam prioribus ægritudinibus veluti concoquendis vſu, hebetiorem tunc ſenſum habu-

habuiſſe eum credibile eſt, quum quaſi occalluiſſet animus dolendo, metuendo, perpetiendo. Veri quoque ſimile eſt, publica mala immenſa & multiplicia & varia, quibusque tunc laborabatur, & quorum timebatur acceſſio, morſus priuatorum retudiſſe. Quemadmodum in morbis, qui intenſi magis ſunt, ii non patiuntur plane ſentiri remiſſiores, & hos quaſi obſcurant. Non facile autem poſſunt ſcribendo explicari illa, quæ bonorum tunc neque leuium & patriæ inprimis amantum animos & dolore præſente & metu in poſterum excruciarint ac ſolicitauerint, non ſolum illa numero infinita & magnitudine immenſa & pondere intolerabilia, ſed varietate quoque & diſſimilitudine & mutabilitate formidanda atque terribilia. Edebantur externorum hominum ſcripta, & picturæ diuulgabantur, quibus Germanicæ nationi in calamitate inſultabatur, &, tanquam ex dolore victæ triumphus ageretur, captiuæ illius vincula catenæque oſtentabantur. Quæ ſane multorum animos acriter pungebant. Alii de dignitate fortunisque ſuis minus anxii, hoc orabant obſecrabantque tantum, ne imperio humano obedire & terrenam laudem quærere cogerentur ſaucia conſcientia ſua, & æterni Dei iuſſis edictisque aduerſando, & cœleſtis gloriæ ſpem

labefactando. Sed qui induxerant Carolum in eam rationem, quam ille secuturum se esse iam demonstrauerat, iidem annitebantur, ne inde recedendo, aut aliquibus indulgendo, non tam inconstans quam timidus haberetur; id quod isto tempore rerumque statu minime conduceret, vel maxime potius nocere posset. Quæ neque temporibus opportune, neque rebus ipsis apte, neque omnino vera ratione geri, & intelligebant ii, quorum iudicia amore odioue erga aliquos non deprauabantur, & iustissimis querelis Philippus Melanchthon deplorabat: cuius sermones in tristitia atque indignatione vehementiores delati ad Cæsarianos, & ab inimicis invidiose & obtrectatorie expositi, nonnihil crearunt, quemadmodum paullo ante significatum est, periculi ipsi; non modo alienato sed etiam irritato Imperatore, & plane infesto, vt cui inculcaretur, consiliis actionibusque ipsius impedimento esse Philippum Melanchthonem præ cæteris, quòd plurimi illius autoritate moti & exemplo confirmati, resistere iam atque repugnare auderent. Etsi autem hic, quum, quid institueretur, cerneret, non dissimulabat metum suum, quod exitum talium inceptorum nullum videret, ac ne progressiones quidem faciles, ve non potius admodum difficiles & vbique incursuras

ras prospiceret, atque eos, a quibus talia nasci proferrique credebat, non dubitabat aperte reprehendere & accusare: in eo tamen constantissime perseuerauit, vt puram sinceramque doctrinam retinens, in parum necessariis & externis quibusdam ritibus non impiarum obseruationum moderationem nequaquam, id quod quidam faciebant, damnaret. Sed de his paullo post plura dicenda erunt. Istud modo breuiter indicandum putaui, contra Imperatoris Caroli, inhumanis quorundam & iniquis sermonibus instigati, mandata non modo seuera sed plane sæua, vt Philippus Melanchthon sibi traderetur, defensum, protectum, conseruatum tum fuisse eum, studii diligentiæque patrocinio atque præsidio illustrissimi quum aliis laudibus tum pietate & virtute Principis Mauricii, rebus omnibus dubiis & admodum difficilibus. Quod quale sit nequaquam intelligi perspicique potest ab iis, qui quasi fluctuantes alienos in mari de terra spectant otiosi, sine sensu periculi & proprii exitii metu. Quin tamen ista in Philippo Melanchthone tuendo D. Mauricii constantia gloriam cumulet illustrissimi nominis ipsius, nemo profecto, nisi furiose in odio & inuidia improbus, inficiari poterit. De his igitur hactenus. Non autem omittendum putaui id, quod in Italia tunc accidit.

Nam in oppido quodam ditionis Venetæ, quidam, quod contra conſcientiam ad negandum quædam prius aſſerta, & retractandum confitendo diſputata de dogmatibus eccleſiaſticis, cogi ſe paſſus eſſet, adeo perturbatus fuit, vt ex dolore animi corporis morbo contracto, ita per extremam deſperationem, nullius conſolationem admittens, interiret. Huius caſus narrationes diuulgabantur, & qua oratione, qui affuiſſent, conati eſſent mederi afflicto, & prolapſum erigere, explicabatur. Quam quidem commodiorem magisque appoſitam haberi potuiſſe Philippus Melanchthon cenſebat, demonſtrantem & vrgentem inprimis hanc ſententiam: veniſſe filium Dei in hunc mundum, vt peccatoribus ſalutis autor largitorque exiſteret; & eas, quæ cum hac congruere viderentur. Sed ille tunc ita deceſſit, ſane miſerabiliter, vt traditur.

LXXX. Anno M. D. XLVIII. inter alia turbulente & audacter tentata atque geſta, vrbs Conſtantia, (quam habuiſſe priſcis temporibus nomen quidam putant Nantuatum, quidam Harudum, quidam etiam Vitoduræ perhibent) ſita ad lacum, per quem fluuius Rhenus amœno tractu quaſi ſpatiando manans deinde ſuo alueo defertur, aggreſſione occulta Hiſpanicarum copiarum pene

pene capta fuit, ſecuriore tunc ciuitate inter tractatus pacis; de qua legatum tunc ad Imperatorem abfuiſſe accepimus, vna cum aliis quibusdam primariis viris, Thomam Blarerum. Hunc habuit Philippus Melanchthon inprimis familiarem eo tempore, quo ego Wittenbergam veni. Erat autem ille in ſua ciuitate præcipuo loco natus, & generis ſplendorem auxerat bonitas ingenii virtutisque ac ſapientiæ & inprimis religioſæ pietatis ſtudium. Ea vero grauitas & conſtantia eminebat in adoleſcente quoque, vt a plerisque tum adeo ille obſeruaretur, quum humanitas quidem ipſius & amabiles mores incredibilem commendationem haberent ad omnes. Hic, etſi non ſucceſſerant inſidiæ factæ patriæ, & oppugnationis etiam vi propulſata a ciuibus fortiſſime dimicantibus, reuerſus domum, quod fieri tamen ſtatus prioris mutationem animaduerteret, neque poſſent pauci reſiſtere multorum vel formidini vel etiam cupiditati, ita ipſe in agros ſuos conceſſit, & aliis adminiſtrationem publicorum deinceps munerum in patria ſua reliquit; quod veritatis æternæ ac cœleſtis profeſſionem liberam retineri pluris faceret, quam ampliſſimorum honorum functiones, paratas volenti ſeſe & rationes ſuas temporibus accommodare, quibus ſeruire prudentia humana inprimis conſueuit.

LXXXI.

LXXXI. Eodem hoc anno in compluribus conuentibus, qui indicebantur de capitibus libri Cæsariani, Philippus Melanchthon vehementer est iactatus. Quæ res tractationesque ab aliis sunt vere & accurate expositæ. Interque tales collocutiones, disputationes, consultationes annus hic effluxit. Venit ea tempestate in Belgicum Imperator Carolus, ad quem ex Hispania Rex Philippus filius illius accessit, ad solennem illarum regionum possessionem tradente patre accitus. Eumque tunc & locutum quædam præclare, & in comspectu omnium amantissime filium esse complexum accepimus, quum quidem filius exquisite esset humili gestu veneratus patrem. Decretum autem Augustanum in Germania turbas dabat: quod vt Imperator ratum esse volebat, ita indies magis conniuere eum animaduertebatur in quibusdam non prorsus illud exequentibus, modo non detraheretur aliquid de ipsius maiestate, neque contemni imperium videretur. Versabantur etiam in Germania legati Pontificii tres, cum mandatis concedendi autoritate Pontificis quædam, de quibusdam transigendi, quæ quum iamdudum vsurparentur & recte fieri statuerentur, non multum curare plerique quid ab his permitteretur prohibereturue. Sed quum metus Imperatoris, tum cupiditas

tas publicæ tranquillitatis, tum vero officii cura, in morem gerendo aut recusando aliquid multum habere momenti. In Gallia tunc nominatim Philippi Melanchthonis nomen pronunciari auditum, inter eorum, quibus nota inurebatur grauissimi criminis, quod rem ecclesiasticam turbarent. Et sunt supplicia atrocia sumta de compluribus, tanquam desertoribus Religionis publicæ, qui *Lutherani* ad vulgus execranda appellatione nominabantur. Fuisseque magis probrosum & turpe, atque adeo pernicioſum alicui ac capitale, sic vocari, compertum est, quam parricidam aut prædonem. Quum neque res neque causa exploraretur aut cognosceretur, sed sufficeret ad condemnationem nominis infamia. Neque minoris sæuitiæ animaduersiones in Belgio huius generis animaduertebantur. In Germania autem fieri discordiæ indies maiores, quum audacius reclamantibus, si qua displicerent, plurimis suis cupiditatibus indulgendo effrenatis, tum diffidentia & alienatione augescente Principum quidem maxime, sed & aliorum, vt quique huc aut illuc animis inclinabantur. Magdeburgum vrbs est ad fluuium Albim supra Oceanum, quæ aliquot annorum operibus munita, quantumuis magnam vim oppugnationis facile sustinere posse credebatur.

Eius

Eius ciues Caroli Imperatoris edicto hostes appellati fuere, vt esset ciuitas in extremo discrimine. Sed ea tum & defensionem edere, & de implacabili Imperatoris ira conqueri, & quosdam sibi propter constantiam in sanctitate Religionis infensos accusare. Et nullum esse peccatum delictumque suum, neque aliam oppugnationis caussam affirmare, quam quod puram doctrinam veritatis cœlestis retineri, neque eam corruptelis vllis deformari, aut calliditate inflecti, studerent. Equidem quanquam de controuersiis ecclesiasticis quid sentirem, nunquam vel dissimulando texi, vel negando inficiatus sum, & cum quibus me coniunctum intelligi vellem, aperte tuli semper: non tamen etiam mihi necesse esse existimaui, neque nunc existimo, vel aliqua singulatim disputare subtilius atque limatius, vel in hos accusatorie inuehi, illorum quasi patrocinium suscipere, sed quæ iudicarem vera, ea professus, a certaminibus & rixis, quæ commoueri partium studiis solent, abstinere, & meæ personæ conuenientius, & ad futuros casus prouidentius esse semper credidi. Neque hæc ostentatio prudentiæ & quasi sagacitatis existimanda est, qua neque præditum me esse fateor, & cuius calliditatem in diuinis negotiis quum futilem tum pernicioſam quoque esse scimus; sed tenui-

tenuitatis nostræ confessio, & veræ atque simplicis expositionis confirmatio haberi debet.

LXXXII. Migrauerat secedendo Magdeburgum Illyricæ gentis homo, qui sibi Flacii nomen imposuerat. Fuisse enim familiare aliud ferebatur. Hic adolescens ad optimum & doctissimum virum Matthiam Garbicium aliquando se contulerat; quem ab integritate & memoria beneficiorum in se externum collatorum, inprimis laudare possum. Neque ego hanc laudem paruam, ac potius in maximis duco, hoc præsertim tam ingrato seculo. Erat idem honestatis vitæ studiosissimus, & ad hanc docendo assuefaciendoque adolescentiam non maiore cura atque seueritate institui & adduci ægre ferebat, quum intelligeret, quam disciplinæ custodia & Deo grata res & in hac vita vtilis esset. Hæc sententia verissima atque præclarissima non caruit obtrectatione quorundam, quasi superstitione implicaretur. Quid enim disputando probaretur, magis iam spectabatur, quam qualis degeretur vita; & libertatis obliterata doctrina sic reuocabatur, vt ad licentiæ infinitæ vsurpationem efferretur. Est autem profecto disputatio omnis tum demum egregia atque illustris, ea præsertim quæ de religione, pietate, officio, virtute habetur, quum non modo verbis

verbis aliquid scite concluditur, sed actionibus consentaneis etiam exprimitur. Quis enim non habeat pro nugatore & sui ipsius derisore eum, qui, quæ oratione constituat, ea euertat viuendo? Sed redeat ad Garbicium narratio. Ad hunc igitur, profitentem doctrinam Græcarum literarum in Academia Tubingensi, popularem suum, se tunc Flacius contulit, quum eodem ante biennium & ego veniſſem. Vsusque est hospitio Garbicii pro facultatibus ipsius non illiberali, & expertus meam quoque & aliorum beneuolentiam ac studium. Inde discedens Wittenbergam est profectus. Eumque humanitate aliquanto maiore complexus est Philippus Melanchthon, quod a nobis adueniſſet. Itaque omnibus rebus eum adiuuit, augens & ornans hominem, suis etiam facultatibus sustentans. Id quod ab ipso in promtu erat cunctis. Non solum enim docebat discere volentes vniuersos, sed pascebat etiam esurientes, & nudos vestiebat, bonitate quadam naturæ benefaciendi cupida sine discrimine omnibus. Flacius, qui mediocrem sermonis Græci scientiam teneret, in cognoscendam linguam Hebraicam tunc totus incubuit. Magistri ibi bonarum artium titulum atque insignia assecutus est, & data ei vxor, & publicæ doctrinæ munus assignatum. Hic

siue ingenii turbulenti ferocia & ambitione, seu malitia inseruiente voluntati alienæ: nam de homine simulatore mirifico, in quo nihil simplex & apertum cognosceretur, variæ suspiciones fuere: sed quacunque sane re aut spe impellente, tunc Flacius scisciteri curiose quid ageretur & esset in manibus, & clanculum scripta fictis nominibus spargere, notantia omnia quæ carerent audacia aduersandi quietis consiliis. Hanc enim aiebant esse & veritatis desertionem & corroborationem falsitatis. Quæ erat illis temporibus & isto rerum statu admodum plausibilis & grata vulgo oratio. Sed initio astute tegere Flacius ea quæ animo agitabat, & alienationem atque odium dissimulare. Relicta eodem tempore statione sua ad Danubium, venit Wittenbergam Nicolaus Gallus, fugiens periculum imminens in illarum regionum ciuitatibus iis, qui reclamarent Augustæ decretis. Cum quo Flacius statim familiarissime se coniunxit, & discedentem sic, vt nihil præ se ferret inimicitiarum aut simultatum, paullo post clandestino abitu secutus est. Et consederunt ambo Magdeburgi, exitiosæ peruicaciæ adiutores & incitatores strenui & vehementes. De huius vrbis consiliis actionibusque, etiam fortuna, nihil modo dicam. Quæ obsidionem excitato bello

tamdiu tulit, quam diu illa in penuria ad extremum rerum neceſſariarum pene omnium & ſummis difficultatibus ſuſtineri potuit. Sed qui bello huic gerendo fuerant præfecti, iis ſi Magdeburgici maturius fidem habere voluiſſent, futurum fuiſſe exiſtimatur, vt citius iis malis liberarentur, quibus tandem fracti, deditionem facere ſunt coacti.

LXXXIII. In regionibus Miſnicis res erant per ſe illæ quidem tolerabiles, vel ſatis etiam bonæ, ſi non calumniarum inſectatione vexarentur. Ipſe quidem Philippus ex illis perturbationibus & quaſi tempeſtatibus tantum doloris cepit, quantum alius nemo. Sed quum aliorum vel improbitate vel leuitate cauſſam occaſionemque eis datam eſſe, & culpa ſe vacare ſciret, faciundum ſibi ſtatuit idem, quod medici fideles ſolent, qui & miſericordia ægrotantum afficiuntur, & morbum, ſi poſſint, ſanant, ſi nequeant, non tamen augent, & neque ope ſua deſtituunt depoſitos, neque non neceſſaria acerbitare affligunt. Nam qui temere remedia adhibent, quibus vita interemta tollitur morbus, illis ea gratia debetur ſcilicet quæ ſicariis. Conſiderabat Philippus Melanchthon conuerſionem, vna cum rebus mutatis, animorum. Videbat quam multa contra opinionem omnium accidiſſent, & poſſe alia accidere ſimiliter intel

intelligebat. Erat hoc igitur rectiſſimum & tutiſſimum: ſalua & integra & incorrupta doctrina cœleſtis veritatis, cui labem inuri aut aſpergi maculam ferendum non eſſet; de cæteris, quæ temporibus & locis diuerſa ſemper fuiſſe conſtaret, ita conueniri, vt vel mutatis vel nouatis aliquibus tranquillitati conſuleretur. Etſi in eo ipſo falli aliquos eum non fugiebat, prouidentem vna parte pacatis rebus, nihilominus aliis turbas excitatum iri. In his igitur quaſi procellis & iſta tempeſtate, non currendum huc illuc putauit, neque excedendum iis locis, in quibus ſine impietate ad Deum, & culpa ad homines non improbos neque iniquos, conſiſtere liceret, & tranſeundum eo, vbi neque extra periculum & maximis itidem in curis moleſtiisque atque angoribus futurus eſſet. Hominum autem præſidia vel vrbium munimenta, quibus protegeretur, quærere, clamoribusque importunis tumultuari, & quaſi tribunitio furore maledictisque veſanis in quoslibet debacchari, omnino noluit. Quodque ſemper fecerat, vt frena laxari cupiditatibus hominum, & auram popularem atque plauſus captari oportere non cenſeret, id multo magis tunc præſtandum eſſe ſtatuit; neque, vt de aliquo veluti editiore loco, ad arma infeliciter paullo ante ſumta aliquos denuo vo-

caret, vel se decere, vel placere Deo, vel ad vllam spem bonam conducere, est arbitratus. Itaque in hoc immotus perstitit, quicquid Flaciana factio diceret ac moliretur. In Flacio perfecta cognitio linguæ Germanicæ nunquam fuit, sic, loquendi scribendique diserte vt facultatem adipisceretur. Sed libelli ipsius nomen præferentes passim prodibant, quos pro suis ille agnoscebat. Erat autem eadem cantilena omnium, de iis, qui apud Principem Mauricium illis temporibus remanerent, & ecclesiis scholisque conseruandis nauarent operam, in quibusdam etiam conniuentes, dum disiecta recolligerentur, & ordinarentur confusa, & res essent in regionibus illis mediocri in statu tranquillæ. Quum autem quæreretur de iis, quæ quasi indifferentia seruari aut omitti impium esse non videretur, Philippus Melanchthon edito scripto luculenta hoc breuitate explicauit, & definiendo solerter & exemplis illustrando. Sed nihil proficiebatur ad eos, qui neque audire quæ dicebantur, neque ad ea, quæ demonstrabantur, aspicere volebant. Qui & verbositate indiserta, & nominum mirabili ignotaque specie, fucum faciebant & imponebant multitudini imperitæ, *Interimistas* & *Adiaphoristas* eos per ignominiam appellantes, a quibus secesserant. Quorum omnia dicta & facta

facta in deteriorem partem interpretando rapiebant, pronunciantes etiam audacissime de cogitatis. Petebatur tunc conuiciis impudentibus non Philippus modo & alii, sed reuerendissimus etiam & illustrissimus Princeps Georgius Princeps Anhaldinus, cui ne mortuo quidem scelerata petulantia pepercit. Nec non improbissimorum partim mendacia, partim simulatio cuiusdam ardoris in veritate asserenda, partim etiam alia, quæ talium temporum miseriis comprehenduntur, tantum efficere potuerunt, vt docti & pii nonnulli, inque his nobiles atque principes viri, aliquid ab eis dici initio crederent, & ipsorum fauerent conatibus. Sed tum capita huius factionis, Flacius & Gallus, Magdeburgi declamitabant, & libellos atque picturas diuulgabant contumelioſas in personas & rationes eorum, qui ipsorum temerariam vel certe præposteram vehementiam improbabant, & abhorrebant a turbulenta peruersitate. Inde, quum vrbs defendi amplius non posset, digressi, in aliis deinde locis tanquam turbo vastitatem & strages dederunt; admisso Flacio Ienæ qui Theologiam doceret, & reuerso Gallo in priorem nidum ad Danubium. Cum his quasi conspirauerant & alii contra Philippum Melanchthonem & eos, qui in Academiis & Ecclesiis Misnicis docebant.

Aliquoties autem iubente & volente Principe Mauricio conuentus diuersis locis acti sunt. In quibus illi clamatores, corrumpi doctrinam puram atque sinceram, odiosissimis criminationibus disseminabant, adeo vt non paucis vbique suspecta redderentur omnia, quæ tum in Misnicis regionibus suscipiebantur & fiebant. In quibus tantis tempestatibus periculose iactari Philippus Melanchthon, & ad durissimos offensionum scopulos allidi; quum nihilominus cursum directum ad veritatem æternam teneret, neque immutaret velificationem, quantumuis reflantibus ventis, in diuinæ gubernationis certa fiducia. Versute autem cauillari isti noui magistri pene syllabas in omnibus; quæ a Misnicis proferebantur. Neque pudebat falsa & ficta ingerere, & secundum hæc perfricta fronte pronunciare, & optima scripta vituperare, & homines innocentissimos condemnare. Quum ipsi nihil vtilitatis in commune docendo afferrent, omne studium in maledicendo, obtrectando, insectando, criminando ponentes. Dicat enim, qui potest, quidnam obscuri ab his illustratum, quid ambigui definitum, quod dubium amotum, denique quod lumen doctrinæ ecclesiasticæ illatum sit? At liquet, turbas ab his pernicioſas esse datas, datas causſas occasiones-

que

que dissensionum & alienationum, data damna inimicitiarum, affectos tristitia bonos, conciliata gaudia malis, ereptum vsum fructumque suauitatis & caritatis mutuæ, impeditos congressus salutares, quibus veritatis cœlestis doctrina & confirmaretur & illustraretur. Hæc facere se illi, tanquam ardore quodam mentis religiosæ, aiebant: quum interea distraherent & violarent nefarie societatem fraternæ coniunctionis, & a ciuibus recederent, non fugerent hostes. Visique mihi hi idem facere sunt, ac si quis exquisite confectas subductasque ab aliquo rationes reiicere & confundere audeat, vt ipse edat & subiiciat nouas. Nam quid egere aliud? quam, quod dispositа & collocata apte & splendide, diligentia atque studio inprimis Philippi Melanchthonis, conuellere dissipareque sunt aggressi. Sed chartæ istorum volaticæ ac scurriles & euanuere magna iam parte, & penitus aliquando euanescent; manentibus ac manſuris grauibus atque solidæ doctrinæ refertis scriptis Philippi Melanchthonis, dum studium non intercidet cognoscendi & sequendi incorruptam veritatem.

LXXXIV. Proponebantur in Misnia capita libri Augustani, deque illis iubebantur Theologi sententias dicere. Non enim Princeps Mauricius sine exceptione assensus

fuerat decreto, quo liber ille quasi omnium Ordinum iudicio approbabatur; sed promissa Imperatoris de religione vrgens, & quid ipse suis esset pollicitus commemorans, ostenderat sibi necessitatem imponi, vt ad suos ea de re referret. Id non negligi vt constaret, diuulgata capita quædam fuerunt, de quibus quæsitum Lipsiæ fuerat; perscripta illa quidem moderatione ea, vt a constantia in veritatis cœlestis sincera doctrina ne transversum quidem, vt dicitur, vnguem recederetur, sed quibus tamen tempus rerumque mutatio obtrectandi daret occasionem. Quam improbitas maleuolorum & turbulentorum tunc cupide arripuit, & ea prolixe vsa est. Anno autem Christi M. D. XLV. prius omnino quam somniare aliquis posset Augustani libri compositionem & editionem, volente Principe Mauricio, reuerendissimus & illustrissimus Princeps Georgius Princeps Anhaldinus conuocauerat Lipsiam præcipuos Theologos & Misnicarum Ecclesiarum præsides, eos fere, quibus cura illarum commissa esset viuente adhuc Principe Henrico, Principis Mauricii patre, ætate plerosque senes, spectatæ dignitatis & vitæ honestate celebres omnes; vbi de communi concordanteque omnium sententia, administrationis ordo descriptus, & ratio tam doctrinæ quam rituum

rituum informata fuit. In quo libro omnia ea ad eundum modum continebantur, quo tunc capita illa, de quibus diximus, promulgarunt. Atque licet ex his etiam perspicere, quantum sit situm in temporibus. Tunc enim certe, quum ista tractata & conscripta sunt, si ederentur, nemo reprehenderet, ac laudarent potius omnes. Iam vero prolata eadem tam contumelioſe respuerunt isti, qui ipsi soli fulcire Ecclesiam, & huius ruinas prohibere se, credi postulabant. Etsi tragœdiæ istæ, quas excitarunt, commenta tantum suspicionum, & falsæ coniecturæ argumenta, & suæ acerbitatis odiique interpretationem, & temporis occasionem continebant. Quæ ad vulgus imperitum momenti habebant plurimum. Diligentiores autem celeriter, quonam tenderent, deprehenderunt. Philippus Melanchthon, quo ista suadente non instituebantur, quique præ se ferret potius ab omnibus talibus illo tempore consiliis actionibusque voluntatem alienam, non tamen studium operæ suæ rebus communibus voluit denegare. Atque veritatem doctrinæ religionisque sinceram integritatem retinere constantissime perseuerauit: de cæteris non existimauit vel opus esse, vel omnino expedire, vt dimicaretur. Neque ego ab illis dissentio, qui de isto libro decretum maximo-

rum malorum cauſſam fuiſſe cenſent. Et hinc enim quæ incommoda diſtractionum extiterint, patet, & quid denique futurum ſit magnopere metuendum eſt. At enim quorum hæc culpa ſit, reperiendum, & eos inſectandos arbitror, non furioſo latratu & indignis conuiciis appetendos quoslibet. Sed cum amantibus rixas, & qui paſcuntur contentionibus, fruſtra diſputatur, præſertim ad omnia, tanquam clypeum, Religionis ſanctiſſimum nomen obiicientibus. Horum itaque tanquam rabioſi canis impetum, quoad conceditur, declinando vitantes, conficere curriculum illos ſuum ſinamus, & attexamus reliqua.

LXXXV. Eadem tempeſtate quum neſcio quo pacto de laudabilium piarumque actionum, quæ operum bonorum nomen habent in eccleſiaſtico ſermone, neceſſitate, renouatæ eſſent diſputationes, quidam tumultuoſiſſime refellere non dubitarunt & veras neque ambiguas aut incommodas de illa ſententias, cum plurimorum grauiſſima offenſione. Idque crimen ſtatim in Philippum Melanchthonem quoque tanquam telum intendi, & iam illius aliis quoque in partibus ſcripta lacerari atque carpi, inque primis refutari tradita de hominis voluntate, de conuerſi-

verſione ad Deum mentis humanæ, de Euangelii proprietate & natura; eoque res progredi, vt conſultatum ſit in iſtorum conuenticulis, de prohibenda lectione certorum librorum Philippi Melanchthonis. Sed huic conatui prudentia Principis obſtitit, & eum repreſſit. Vt autem apud Homerum Agelcos monens procos, ne temere quaſi effundant ſimul iacula omnia, ſed coniiciant aliquot certo numero ac ordine, petentes Vlyſſem,

Iuppiter aſſpiret nobis (inquit) *ſi forte favorem,*
Vt noſtris manibus cadat interfectus Vlyſſes,
Et noſtrum victrix hæc Martem fama ſequatur,
Namque alios, vno hoc occiſo, nil morer omnes:

Sic variis diuerſisque calumniarum obtrectationumque quaſi venenatis ſagittis nomen & exiſtimatio bona Philippi Melanchthonis propoſita erat vna ad configendum; quod ipſius autoritate veluti confoſſa atque extincta, cæteros omnes non admodum formidandos eſſe ducerent. Sed haud ſcio an aliquanto patientius tulerit iniurias iſtas Philippus Melanchthon, quam oportuerit, atque tolerando quam repugnando fuerit fortior.

tior. Verum de hoc ipso fortasse postea plura dicemus suo loco.

LXXXVI. Venerat Norimbergam ex Bauaris ante multos sane annos Andreas, qui familiæ suæ nomen pene ridiculum mutauerat in Osiandri, vnde sonus non longissime recederet. Is, quod Hebraicarum literarum cognitionem profiteretur, in Augustiniano cœnobio doctrinæ suæ primum mercedes quasdam accipiebat, carus ob ingenii acrimoniam & studium industriamque eruditis, præcipue Wilibaldo Pircamero, dignitate honoribusque & sapientia doctrinaque præstanti viro, quos tamen deinde rusticitate morum & præfracta animi elatione ab se plerosque alienauit. Commendatus autem primoribus ciuitatis facundia sua potissimum, concionibus in æde Laurentiana habendis est præfectus. Consecutus fuerat autoritatem primis contentionibus de religione, quum monachis iam corruentes superstitiones retinere cupientibus vehementer restitisset, & coram Antistite Pabepergensi de illis controuersiis copiose, quum plurimorum admiratione & applausu, disputasset. Iam autem promulgatione libri Augustani, vel rogatione potius illa, in Germania passim motus periculosos miscente, arripuit occasionem relinquendi eam vrbem, in qua dignitatem

tatem & aliquid facultatum fuerat adeptus, contulitque sese in Prussiam; vbi & ipsius audacia, & quorundam aduersantum illi importunitate, eæ contentiones sunt excitatæ, quæ totam fere Germaniam peruaserunt, ingentiumque odiorum, turbarum, iurgiorum fuerunt caussæ. Quum & nouitate disputationum Osiandricarum animaduersiones atque notationes plane censoriæ aliorum excitarentur, & in refragando quisque maxime fortis atque acer videri cuperet. Osiandrum sane, qui ingenio naturaque esset excellente, & doctrina varia ac multiplice, & facultate præclara in pronunciando quæ cogitasset, præditus atque instructus, non caviſſe apparet, ne oppugnando alios, & suspectam formam doctrinæ callide introducendo, nouas quasi secures impingeret rei ecclesiasticæ. Estque ab hoc Philippus Melanchthon & ipse spurcissimi scripti atrocibus contumeliis appetitus. Neque possum in animum inducere vt credam, ipsum autorem tam vecordem fuisse, quin illius eum quoque recognoscentem forte puduerit. Tulit etiam hoc æquissimo animo Philippus Melanchthon, & in simplice, vera, puraque doctrina excercenda perrexit; quæ ipsa esset responsio grauissima & firmissima defensio ad omnia. Atque ego scio, Philippum Melanch-

lanchthonem tam inhumaniter acceptum ab Osiandro, postea tamen sæpe honorifice eius meminisse, recordantem veteris consuetudinis necessitudinem, eamque illi laudem tribuisse, quam deberi fatebatur • scientiæ multarum cognitione dignarum rerum præclaræ. Atque nos in hac narratione studuimus, id quod ante oculos versaretur, neque dubium aut controuersum esset, de quocunque nominatim aliquid recensuimus, commemorando exponi: quæ sunt nimirum vel dicta alicuius vel facta, vel his, vt ita loquar, cognata atque inhærentia. Non enim is ego sum, qui de aliorum consiliis & proposito atque sententia pronunciare soleam. Hæc enim occulta sunt, quæ suspicando detorqueri maleuolentiæ est & odii, extollere vero altius ab integritate alienum. In quo vtroque, priore tamen magis, sibi licentia seculi huius nimium indulget. Enimuero vbi dictum factumue & manifestum neque ambiguum extat, licet, vel oportet, vt opinor, id de eo commemorari, quod congruit veritati. Sed alia sunt aliorum quum ingenia, tum voluntates, tum studia quoque. Prauitatem sane, vel procreatione insitam, vel vsu contractam, tolli emendando, non corroborari exercendo conuenit, cui quid prætendi possit quærere, extrema est peruersitas. Scripsitque

psitque hoc præclare Iustinus Martyr: Naturam viuendo sequi esse eius, qui nondum peruenerit ad Fidem; at æmulationem inuidiæ, longe adhuc a veritate abhorrentis ac remoti. Quapropter ne quis seipsum decipiat, neque specie simulationeque fallatur. Nam reperiuntur, qui iracundiæ in reprehendendo & insectando quoslibet audaciam, atque etiam conuiciorum acerbitatem, Scripturæ sacræ & sanctorum hominum autoritate exemplisque defendant. Quorum si vires cupiditati responderent, iamdudum iacerent demissi orco aduersarii. Quantum tamen in ipsis est, & damnando, & supplicia decernendo, & maledictis insuper ingerendis, satisfaciunt acerbitati suæ. Quantum enim vidit ætas nostra scriptorum, quantum dictorum audiuit, de suspicionibus & opinionum coniecturis! Quoties concurrentes aliqui clandestinis operis, modo doctrinæ neque necessarios neque opportunos tractatus, modo disputationes superuacaneas & verborum magis strepitu quam rerum pondere nitentes atque fultas, modo etiam sæuas & contumelioſas in alios accusationes instituerunt, composuerunt, ediderunt! Quibus nihil nisi prœliorum & belli causſæ darentur. Quum autores inter quasdam veluti scenicas exultationes personis prodirent alienis, tanquam veteres

veteres heroes cum cothurnis atque sceptro, vehementiam & libertatem orationis iactantes, & volentes esse superiores vbique, idque valere tantum quod ipsi statuissent, & affectando oris liberi copiam fucum facientes imperitis, specieque ista libertatis grauissime sauciantes bonam aliorum existimationem, & quietis diuinum donum perturbantes. Huiusmodi autem hominum profecto animi contentio & propositum sententiæ periculi plenum est, dumque cedere nunquam volunt, sed victores esse aliorum omnium, fit fere, vt ea victoria potiantur, quæ est tristissima, & prouerbio Græcorum Cadmea perhibetur. Atque ista in hac narratione reticenda, & talia vitia silentio, quin notarentur, prætereunda non fuerunt. Vt autem ad rem redeamus, multas amaras tunc quasi potiones, vt dicitur, hausit Philippus Melanchthon, & concoxit tacendo atque tolerando. De quibus omnia sunt in medio, neque suspicando a nobis fingitur, aut argumentando exquiritur fere quicquam. Iam vero ne mortuo quidem parcitur, sed dissentientum quoque, vt diximus, proteruitas in illo infamando insolentiaque concordat. Si inuidia impellente, quanta sit generis istius improbitas ex eo apparet, quod nouam ac inusitatam illud viam ingreditur; quum inuidia,

dia, tanquam ignis, materia deficiente, extingui & delabi in cineres obliuionis post alicuius mortem soleat. Sin odio incitante: quum oderint eum, quem boni omnes amarunt viuum, & mortuum singularis beneuolentiæ memoria cohonestant, quales ipsi perhiberi possint, si saperent, poterant cogitare. Sed nominis scilicet aliqui celebritate offenduntur, &, ea oppressa fore vt ipsi emineant, confidunt. Ita sane se res habet, vt omnibus temporibus vera atque solida virtus rara, nunc rarissima sit: quumque perpauci sua virtute excellere & quasi in altiorem locum peruenire valeant, plerique alterum criminando & contumeliarum insidiis appetendo, aut etiam impudeuter insectando, vt conspiciantur, ascendere nituntur. Hoc quale sit patet. Non certe præstantiam & amplitudinem promittens, sed afferens sceleris amentiæque ignominiam, vt illud agentes & stultitiæ & prauitatis coargui posse videantur. Sed quod aggresso hoc expositionis opus inuito necessitas imposuit vt non omitterem, in eo neque longior neque diligentior sum futurus. Vt igitur ad Osiandri mentionem reducatur oratio, fuit is & ingenio acri præditus & haud vulgari doctrina instructus, sed animo & elato & admodum confidente, & moribus nequaquam moderatis

tis atque ſuauibus. Hæc naturæ interdum vitia educatione liberali & diſciplinæ diligentia corriguntur; quæ Oſiandro defuiſſe conſtat. Sed confecto ille curriculo vitæ ſuæ in Pruſſia mortuus, & ſplendido funere elatus atque honorifice eſt ſepultus, anno Chriſti M. D. LII. XVI. Cal. Sept. apud Regium montem.

LXXXVII. Redeundum autem eſt ad ſuperiora tempora, vt narratio ordine procedat. Quæ quidem perquam turbulenta fuerunt, & non modo curis & anxietatibus animi, ſed corporis quoque laboribus atque defatigatione Philippum Melanchthonem grauiter, afflixerunt. Anno Ieſu Chriſti M. D. XLIX. incipiente, mortuus eſt, cum ingente Philippi Melanchthonis dolore & triſtiſſimo deſiderio amici cariſſimi, Caſpar Cruciger, diuturno languore conflictatus, & grauiſſimis, ob ea quæ tum gerebantur, perturbationibus debilitatus. Ita autem obiit mortem, vt ardentiſſimis precibus opem diuinam ſibi & propter religioſæ pietatis ſtudium periclitantibus cunctis imploraret, & vitam ſuam traderet in manus Ieſu Chriſti, autoris ſalutis vnici, cui ſeruierant fideliter ſtudia ipſius, & quem ſanctiſſime coluerat. Hunc condiſcipulum non multum ætate inferiorem habui in puerili inſtitutione Lipſiæ, quum vno & præceptore atque magiſtro Georgio

orgio Helto, & doctore literarum Græcarum familiariter vteremur Ricardo Croco Britanno. Erat autem in eo puero tanta ſtatim ingenii vis, vt quæ cæteri nos magno labore vix perdiſcebamus, ea ille ſic celeriter comprehenderet animo, vt ludere & iocari videretur, nobis admodum ſerio omnes, vt aiunt, neruos contendentibus. Perpetuam autem conſuetudinem hanc ſeruabat, vt in diſſimulando ſcientiam, quæ erat in eo multiplex variarum rerum, perſeueraret. Nihil in eo oſtentationem habebat, nulla gloriæ aut nominis præſtantiæue cupiditas animadvertebatur. Studii labores ſuſcipiebantur perferebanturque incredibiles, ſed tam occulte & quaſi furtim, vt familiariſſimi etiam de iis celarentur. Morum vitæque maxima erat in illo honeſtas atque probitas, & in quotidiano quidem conuictu ſuauitas perquam amabilis, ergaque omnes ſumma humanitas, in negotiis autem gerendis & fides & grauitas ſpectata. In loquendo admodum parcus. Ad omnes vero iuuandum conſilio opeque promtiſſimus. Cogitationes ipſius ſapientes, oratio circumſpecta, inſignis taciturnitas, fides certa. Quibus eximiam autoritatem ille conſequebatur, & dignitate excellebat. Neque inueniebat facile apud ſe alium Philippus Melanchthon, cui ſua conſi-

lia confidentius crederet, aut cum quo liberius communicaret sententiam rationesque suas, aut cuius iudicio plus tribueret, quam Casparem Crucigerum. Quem quum tanti feciſſet & tam vehementer dilexiſſet, morte ipsius non potuit non in luctu mœroreque ingente versari, ea præsertim quæ ante tempus illi accidiſſe videri posſet. Exceſſit enim e vita hac confecto anno ætatis suæ quadrageſimo quinto.

LXXXVIII. Iam & obsidio vrbis Magdeburgensis multarum variarumque difficultatum cauſſas dabat, & Imperatoris Caroli in exequendis iis, quæ ordinando edicendoque inſtituerat, ſtudium paullo ante remiſſius visum, rursum intendi, neque de seueritate demonſtrata multum remitti. Non paucis igitur in locis religionis cauſſa aut tumultus excitabantur, aut mutationes fiebant non periculoſæ modo, ſed pernicioſæ etiam. Et publicatæ iam erant hoc tempore anni M. D. LI. literæ, quibus Synodus oecumenica a Pontifice Romano Iulio III, qui ante legatus præſederat in Tridentina & Bononienſi, rursum indicebatur, & Tridentum denuo omnes, qui adeſſe deberent & a Pontifice Paullo III vocati prius fuiſſent, ſe conferre iubebantur. Hoc Imperator Carolus, ægre & vehementer vrgendo Pontificem, tan-

tandem obtinuerat. Præfiniebatur autem dies Calend. Maii conuentui, & exordio actionum, quibus Paulina illa Synodus continuaretur. Carolum Imperatorem magnopere ſtudere rem ad legitimam cognitionem deduci apparebat, quam ſciret Synodi oecumenicæ eſſe propriam. Sed ita & fuerant ante Synodi indictæ, & eæ literæ de hac ſcribebantur, vt non deeſſent qui ſuſpicarentur, a Pontificiis nihil peius metui, quam ne procederent inſtituta negotia. Ipſum etiam Imperatorem tales literas non probaſſe, exiſtimabatur. Sed ſunt illæ recitatæ in conſeſſu Principum Auguſtæ, vbi tum conventus ordinum Imperii agebatur. Qui ita ſolutus eſt, vt Imperator, ad Synodum celebrandam & frequentandam, cunctos accurate & vehementer hortaretur & admoneret, ſeque propius acceſſurum, & propugnatorem omnium defenſoremque actionum fore, polliceretur. Non etiam intermittebat vrgere vniuerſos, vt ea, de quibus Interim ſeruandis, dum Synodus oecumenica aliud decerneret, liber editus fuerat, exequerentur perficiendo. Et ideo quum aliis locis magnopere trepidatum fuit, tum Argentoratum varie & multipliciter vexatum. Eſtque mortuus in Britannia Martinus Bucerus, cum quo Philippo Melanchthoni magnus fuerat fami-

miliaritatis vsus: itaque morte eius non parvum dolorem eum accepisse intelligebatur.

LXXXIX. Non putaui alienum hoc loco de Bucero pauca vltra superiorem mentionem commemorare, cuius nomen apud quosdam mirifice inuidiosum fuisse constat; quum illius neque studium prauum, neque operæ peruersæ, multo minus improbitas aut malitia deprehensa sit. Patriam hic habuit Weissenburgum oppidum ad Rhenum situm. In pueritia autem, id quod multis accidit, literis & alia doctrina sic fuit institutus, vt finis proponeretur in re ecclesiastica muneris alicuius functio. Vnde postea factum est, vt se daret in familiam seu sodalitatem Dominicanam, spe, vt videtur, vitæ melioris atque sanctioris. Verum offensus, vt alii quoque, superstitionum impietate, (quæ iam ne specie quidem aliqua religiosæ pietatis occultarentur, sed quum doctrinæ falsitate, tum rituum pene iocularium vsurpatione, manifesto deprehenderentur, quos vulgo etiam deridere plerique inciperent, accedente præsertim vitæ atque morum dissolutione) deseruit illam congregationem, & euoluit se erroribus quibus temere fuerat implicatus. Versatus deinde fuit aliquanti-sper apud Franciscum Siccingensem, qui in graui motu sucepti belli difficilis, quod periculo-

culosam seditionem excitaturum esse nobilitatis concursu multi metuebant, in sua arce Landestallo oppressus mortem obiit anno Christi M. D. XXIII. Postea Argentoratum Bucerus se contulit. Vbi studio & diligentia magna concionando populum docuit, & multa opera scribendo edidit, quæ comperio doctis & veritatem amantibus præclara & vtilia videri. Inprimis operam dedit vt controuersiæ, quæ tunc quædam Ecclesiarum consentientum pacem tranquillitatemque turbabant, dirimerentur, & restitueretur concordia. In quo nihil laboris aut defatigationis recusauit, vel non potius cupidissime suscepit atque pertulit. Quod crederetur autem esse ingenio placido ac miti, adhibitus deinde quoque fuit ad consilia actionesque consensionum, & tollendorum dissidiorum. In quibus tractatibus moderatione sua cauit, ne nimis offenderentur aduersarii, neue omnem concordiæ spem abiicerent. Itaque opinione de eo satis bona accersitus fuit Augustam, quum liber ille concinnaretur, sententiam Imperatoris pronuncians de iis, quæ Interim dum Synodus cogeretur fieri seruarique oporteret, de quo supra dictum est. Sed frustratus est expectationem plerorumque, & conceptam opinionem fefellit, improbando aperte scriptum illud, & demon-

ſtrando inſidias atque corruptelas. Quod igitur tum Imperatoris poteſtate tam late patente, vt aliorum quorumuis ditioni ſubiecta loca complecteretur, neque Argentorati neque vſpiam in Germania tutus videretur fore, ita accerſitus perquam honorifice in Britanniam ſe contulit, vbi, vt diximus, obiit hoc anno mortem.

XC. Orto autem bello Parmenſi, Synodo, quam Imperator Carolus non modo procedere ſed maturari maximopere cupiebat, impedimenti nonnihil & moræ illatum fuit. Quo tempore obſidione Parmam & Mirandulam Cæſareanæ Pontificiæque copiæ cinxerunt. Sed Imperator nihilominus rem apud omnes vrgere, miſſisque literis inſtare vt ad Synodum vndique conueniretur, & metum periculi, ne qui illum prætendere iure poſſent, modis omnibus adimere, ac tuto cunctos & venturos ad Synodum & ibi futuros indeque deceſſuros eſſe polliceri, denique ſecuritatem quocunque pacto poſſet addere. Magnopere fuerant omnes conturbati rebus atque negotiis poſt victoriam Imperatoris Saxonicam ſuſceptis atque geſtis. Et quoniam conventus aliquando de Religione conſtituenda actos ab iis, qui defectionis ab Eccleſia Romana inſimulabantur, Imperator in eam partem interpretatus fuerat, vt ad Reipublicæ

cæ ſtatum conuellendum pertinere ſuſpicaretur: non pauci abhorrebant illo tempore a neceſſariis etiam congreſſibus, in quibus communi eandem doctrinam religionemque profitentium ac colentium ſententia ſtatueretur, de Imperatoris poſtulatis, & Synodicis actionibus. Princeps autem Mauricius mandata tunc dedit Philippo Melanchthoni, vt ſcriptum componeret, quod ea, quæ Synodo exponerentur, ſi quos illuc mitti placuiſſet, comprehenderet. Hoc quum ille abſoluiſſet, conuocati Lipſiæ Theologi & præcipui vndique Eccleſiarum præſides, iubentur audire recitationem ſcripti, & de eo dicere quid ſentirent. Vniuerſis id approbantibus, neque vllo fere quicquam requirente aut reprehendente, vnus tamen aut alter aliquid notare in actionibus ſuperioris temporis, & culpare quædam vt ſuſcepta geſtaque timidius. Sed neque horum ſermones conſenſionem turbarunt, & ipſi etiam commoditate & manſuetudine aliorum, veritatisque inprimis demonſtratione, quod falſis temere fidem habuiſſent, facile ſunt placati. Quanquam autem & ſimplex erat iſtius ſcripti expoſitio, neque vllius nominatim crimationem complectebatur, eorum tantum de quibus controuerſiæ iamdudum erant explicationem continens; non viſum tamen

est cum aliis ipsum communicare, nonnullis Principibus viris & ciuitatibus hoc magnopere expetentibus. Et aduenere ea de re legati quidam Theologi Wirtenbergenses & Argentoratenses, & attulerunt librum ad eundem vsum conscriptum a Iohanne Brentio, qui apud Wirtenbergensem Ducem illustrissimum Principem Christophorum Vlrici F. postquam ex Sueuicis Salinis discesserat, erat in singulari pretio & existimatione, in maximo honore, quamuis occultius aliquanto, habitus; quum Hispanica præsidia adhuc detinerent præcipua in illis terris loca, quæ hoc anno tandem fuerunt educta, restituta libera Principi suorum possessione, post ingentia damna data regioni Wirtenbergensi, non modo direptione facultatum & detrimentis fortunarum, sed morum simplicis & probæ gentis corruptela, & integrioris vitæ dissolutione. Quam cladem vastitate agrorum & pecuniarum rapinis boni omnes grauiorem fœdioremque duxerunt. Cum Iohanne Brentio antiqua necessitudo intercedebat Philippo Melanchthoni, & hunc Princeps Wirtenbergensis paullo post eximio fauore complexus & dignitate & opibus auxit. Sed id scriptum quod a Philippo Melanchthone compositum fuisse diximus, congregatis in Synodo offerendum, cum iis, qui illarum rerum

rum caussa in Misniam venerant, tandem communicatum, & postea conuentu Wittenbergæ acto ab aliis compluribus, coram quibus recitatum fuerat, approbatum, & tandem editione quoque Repetitæ Confessionis Augustanæ titulo diuulgatum est.

XCI. Interea autem dum hæc cura atque solicitudo exercet Philippum Melanchthonem, oritur aliud malum, & excitatur tempestas, quæ mirifice perculit omnium bonorum animos, & eripuit spem felicis eventus, quod ad tractatus quidem de Religione pertineret, vniuersam. Cunctis enim sperantibus fore, vt congregatis iam iis, qui de controuersiis ecclesiasticis cognoscerent, res essent vbique interea quietiores, quum præsertim existimarentur in illa Synodo affuturi caussamque dicturi, ii qui defectionis insimulabantur: &, hi quo tutius venire ad Synodum, ibique liberius versari, & omni metu ademto negotium gerere possent, D. Mauricius perfecerat, vt non modo Imperatorio diplomate ea fides daretur, sed autoritate etiam Synodica confirmaretur: Hac igitur in spe atque expectatione hominum, noui terroris & magnarum perturbationum occasio data est. Nam de improuiso Augustæ decem curantes docentesque in Ecclesia, cum quibusdam in ludis litera-

literarum magistris, coram Antonio Granvellano, Præsule Atrebatensi, maximæ apud Carolum autoritatis, iussi fuerunt apparere. Is sibi adiunctis præcipuis Imperatoris consiliariis, in ipsorum doctrinam inquirere, & vehemente oratione eos increpare, & ne a contumeliis quidem abstinere, denique inhumanissime & durisime acceptos ita dimisit, vt tyrannico edicto vrbe eiiceret. Eandem acerbitatem & aliæ ciuitates Sueuiæ tunc expertæ fuerunt. Quod factum tam sæuum sermones querelasque varias commovit, & animos bonorum mœstitia compleuit. In quibus Philippi Melanchthonis cogitationes erant inprimis tristes, & oratio audiebatur quum seuera, tum miseriam infelicitatemque nostræ ætatis deplorans. Commemorabantur autem tum a nonnullis ea incommoda atque mala, quæ alios præstantes ingenio & vsu maximarum rerum considerare oportuisse existimabatur: eos præsertim, qui potuissent auertere, quum ipsis nihil nisi in mœrore & anxietate lacrimæ concederentur. Hæc erant istiusmodi fere: dissensiones de Religione non esse similes aliarum, ac tales potius, quibus potentia moderari, quasue coercere ac reprimere vis vlla nequeat. Sed esse de his cognitione & iudicio opus, propterea quod animi impediantur metu, ne

ne quid impietatis concipiant. Quod si ita affectos cogere velis, apud fortiores nihil sis profecturus. Vitam enim hi amittent potius, quam mutent sententiam: immo hanc aliqui laudem affectabunt, vt in confessione veritatis afflicti esse dicantur. Alios reddideris improbos ac malos; qui iam dicere facereque non dubitent quiduis, quique commutare dominos per occasionem libenter velint, denique infidi hi erunt & leues. Si enim in rebus humanis, quum id proditur, quod verum rectumque esse aliquis decreuit, ex eo vitio proditiones amicitiarum & rerumpublicarum nasci comperitur; qui a persuasione veritatis diuinæ metu aut spe depellitur, & de illis rebus contra animi sententiam iam loqui sustinet, eumne quis vlli mortalium fidelem fore putabit? Dicet aliquis, redire hos in viam, neque eam esse veritatis desertionem, sed erroris. Id tum demum fortasse dici posset, si rebus disputatis & explicatis, sublataque dubitatione, abessent minæ, terrores, violentia, illecebræ obsequii, & spes emolumentorum. Itaque de quodam Arianæ sectæ legimns, quod, quum intellexisset vnum orthodoxum ex amicis præcipuis amplecti illam doctrinam sibi gratificantem, indignatus animo iusserit caput ipsius ceruicibus abscindi, quum quidem increpans eum dixis-

dixisset: tene ego posthac mihi fidelem fore confidam, qui hominis caussa fidem fregisti, datam Deo? Sed contra Imperatoris decreta hoc aut illud commissum omissumue esse aiunt. Iis scilicet in rebus, de quibus semper hoc in promtu est: magis Deo quam hominibus. Constantinus Magnus quum de religione orta controuersia statuæ ipsius a concitata multitudine euersæ fuissent, quæstionem ea de re haberi noluit, ne religionis negotia cum profanis permiscuisse perhiberetur. Quæ vota quam longo tempore fuerunt bonorum, vt de religione suscipi fierique cognitionem potius priusque studerent ii, qui deberent ac possent, quam aliquid edicendo constitueretur, quod neque duraturum, & in aliorum dicta, in aliorum manifestas reprehensiones reclamationesque incursurum esset! Quam multi sunt anni, quibus expetitur, vt necessaria maxime omnium, legitima cognitio de controuersiis ecclesiasticis! Hæc res quum tandem magno labore perfecta putaretur, & cognitio illa esset inchoata, talibus actionibus eam interturbari non oportuisse plerique censebant. Non hi quidem disputantes, quomodo negotium illud cognitionis institutum esset, aut quid eo quæri videretur, sed hoc perpendentes: si illi, qui nollent & negarent posse ea probare

bare & admittere, quæ differendo notassent & essent insectati: illi igitur, si cogerentur dubia & incerta iam amplecti, aut si renitentes exterminarentur, quænam Synodus illa futura esset, ad quam vel non integrum venire iam quasi deiectis de iure disceptandi, aut venire esset necesse debilitatos atque fractos, quum liberæ tantarum rerum tractationes promitterentur, & plurimi esse tales iudicarent foreque sperauissent. Dolebat quibusdam, non saltem respectum fuisse quendam habitum maleuolorum. Non enim possunt certe omnium voces & ora interminando occludi. Quid igitur malevoli tum dicere possent non cogitatum, neque circumspectius res istas fuisse gestas, moleste ferebant aliqui. Quod negari non posset, dissentaneum esse, in ipso articulo ostensæ cognitionis talia facta fieri, quibus iudicii omnis libertas adimi videretur. Quum tamdiu aliquos tulerint, quædam dissimularint, &, vt pater adolescentis, quemadmodum ex nescio qua fabula vetere adducitur, Comici, quamuis ille oleret vnguenta, tamen odorari se negat: sic isti, quanquam essent in conspectu, quæ improbarent, tamen oculos auerterint; nunc vbi dies venit, quo decernatur de iis ipsis & rebus & hominibus, isti iubentur præiudicare id damnando, quod diiudi-

diiudicari debeat, aut si nolint extorres profugere coguntur. Quid hoc sit aliud, quam quod apud Poëtam de simili peruersitate dicitur:

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

id est, ostendere liberam cognitionem, & interim alligare animos atque deuincire velle, vt facere necesse sit, quicquid imperetur, siue probent aliqui seu improbent, nullis argumentis adducti, aut in refragando perseuerantes exulent, vel grauiores etiam pœnas persoluant? Atque scio fuisse quosdam suspicatos, de sententia Caroli isto pacto rem administratam non esse, & demiratos vnde extitissent hæc consilia, optasseque vt vulneri isti remedium inueniretur, ne mala malis exaggerarentur. Videbant enim fore, vt tunc multi terrerentur, afficerentur varie, grauiter perturbarentur, denique ingentem ista paritura esse confusionem. Atque comperi suasisse quosdam, qui non modo iustitiæ sed vtilitatis quoque respectu mouerentur, mutandum decretum illud, reuocandos expulsos, & institutæ cognitioni cursum liberum relinquendum esse. Sed vicerunt scilicet fata seculi nostri, & secuta mala quum initia atque causas, tum incrementa impulsionesque, habere oportuit. Et in pertinacia tunc

tunc obtemperatum est iracundiæ, quæ quum nihil considerando prospiciat, exitus habere solet eiusmodi, vt, si quem facti sui aliquando pœniteat, non mirum esse videatur. Atque exponuntur a me ea adhuc, quæ mediocriter prudentis hominis ac sani rationibus comprehendi colligique possunt; quum in istiusmodi negotiis nihil prius neque antiquius sibi esse pati debeat quisquam, veritatis cœlestis, cuius doctor & explicator est Spiritus sanctus, perspicientia, qua relicta aut negligentius exquisita, cultum & venerationem Dei æterni, & pietatem religiosam, labare & concidere necesse est. Sed longe sane digressi, redeamus ad nostræ narrationis seriem.

XCII. Et hæc ad istum modum Augustæ acta solicitum habebant Philippum Melanchthonem, & crebræ multiplicium quarundam etiam mirificarum literarum eo maxime tempore ei interpellationes obstrepebant; & qui eiiciebantur consilium ab ipso opemque inprimis petebant, & ad eius fidem misericordiamque confugiebant; & consultationes de Synodo, quæ inter Reipublicæ graues motus renouabantur, curas maximas afferebant. Et ea cernebantur quasi conseri, vel ad herbam etiam perduci, quorum qui fructus futuri essent, nemo bonus sine anxietate

singulari cogitare posset. Nam quod & Gallici regis, qui Imperatoris hostis vel certe inimicus esset, animus ita alienaretur a Pontifice Romano, vt in Synodo contra rationem illam & institutas actiones testatam esse vellet sententiam suam, nec non mutuæ inter Carolum & hunc Regem criminationes, quæ diuulgabantur, & recepta occupataque vrbs Magdeburgica a Duce Mauricio, & Imperatorem, qui ad Oenipontem desideret, frustra interpellari de Landgrafii liberatione, cuius promissæ sponsor appellaretur gener D. Mauricius: hæc omnia, inquam, attentos formidine futurorum carere non patiebantur. Et Philippus Melanchthon, iam tertius ad Synodum legatus, cum literis Principis Mauricii in viam se dederat. Earum literarum talis erat sententia, quæ subiiciebatur præscriptæ saluti & compellationi honorificæ, qua reuerendissimi Domini & reuerendi Patres ille conuentus nominabatur: Quum Cæsarea Maiestas clementissime voluisset, vt ex Ecclesiis subiectis ditioni suæ aliqui ad Synodum mitterentur, noluisse D. Mauricium deesse voluntati illius, quum præsertim optaret & ipse veritatem illustrari ad gloriam Dei æterni, & constitui piam ac perpetuam in Ecclesiis totius orbis terrarum concordiam. Quæ duæ res maxime essent expetendæ

tendæ omnibus mortalibus, præcipue vero iis, quibus gubernatio aliorum diuinitus sit commendata. Tum deinde indicabatur, qui mitterentur ad Synodum, ii quidem illi, quorum honestatem vitæ & pacis publicæque concordiæ studium Princeps ipse prædicari intelligeret. Addebatur petitio: vt hi exponentes publice, quid de omnibus controversiis docerent communi sententia Ecclesiæ in regione sua, audirentur. Et significabatur: esse ipsis mandata data, vt pie placideque & sine priuatis affectibus recitarent & declararent doctrinam, quam esse existimarent vniuersæ Ecclesiæ necessariam. Conclusio literarum complectebatur & admonitionem humanissimam & vota plenissima pietatis: Scire eos, qui conuenissent, pro sua excellente sapientia, ipsorum confessus Deum iudicem intueri, & Ecclesiam vniuersam, tam cœlestem quam terrenam, ab his postulare & expetere, primum vt gloria Filii Dei vere illustretur, & sanentur conscientiæ saucíæ, & vera his inuocatio monstretur, deinde vt talis concordia constituatur, qua non stabiliantur veteres abusus. Neque enim Deo gratam, neque diuturnam tranquillitatem sine veritate esse posse. Negandum autem non esse omnino, manifestos errores quosdam & non leuia vitia in Ecclesiam irrepsisse, quæ

dissidiis horum temporum dederint occasionem. De quibus tantis rebus, & audire eos Ecclesiarum querelas, & remedia salutaria quærere, sapientiæ esse ipsorum. Atque orare se Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt vulneribus Ecclesiæ veteribus & recentibus medeatur ipse, sicut Samaritanum illum ait saucio viatori opem tulisse. Qua imagine quum sese exprimeret, ostendit scilicet affici se calamitatibus nostris, & velle nobis opitulari. His literis in vrbe illustrissimæ aulæ Dresda datis, dies adscriptus erat Iduum Ianuarii, anni Iesu Christi M. D. LII. & nomen Mauricii cum præcipuis titulis subscriptum. Hac Epistola accepta Philippus Melanchthon cum comitibus iter est ingressus. Dictum autem eis fuerat, vt Augustæ Vindelicorum subsisterent, donec vel ab ipso Principe vel legatis ab hoc ad Synodum literas accepissent, quibus significaretur, quid facere deberent. Tota res erat magis comparata ad aliorum arbitrium, quam de consilio & sententia Philippi Melanchthonis instituta. Sed nihilo tamen minus ille, sine recusatione, vt consueuerat semper obtemperare iussis eorum quibus seruiebat opera ipsius, quoad quidem bonæ mentis conscientia pateretur, sic tunc paruit, & muneri legationis illius vt præesset facile

passus

passus obtineri, & cum comitibus iter ingressus fuit. Venerunt igitur illi Norimbergam, vbi pro singulari erga Philippum Melanchthonem amore, & studio purioris doctrinæ, accepti habitique fuerunt humanissime & benignissime. Publice eis ædes assignatæ, procuratæ res necessariæ, & omnia summæ benevolentiæ præstita officia. Dum in vrbe illa commorantur, & ociose expectant quidnam porro deinde agere iubeantur, interea rumores dissipantur de expeditione belli aduersus Imperatorem, & D. Mauricii Gallicis consultationibus. De quibus maximis & admirabilibus quum inceptis tum effectionibus, neque argumentum hoc fert vt enarratio instituatur, neque mihi libet has res exponendo inculcare. D. Mauricius & constantiæ diuturnitate, & excelsi animi robore, & consiliorum prudentia, & rerum gestarum amplitudine, tum declarauit non esse prorsus oppressam neque captam Germaniam, ex qua scriptis picturisque editis externi quidam triumphos iamdudum agerent. Neque vicit ille quidem tum Imperatorem inuictum, sed hoc tamen armatus obtinuit, quod inermi supplicando diu multumque hactenus fuerat denegatum. Memini in harum rerum motu quid alii sperarint, alii metuerint. Atque audiui quendam festiuum, quum iam bel-

 lum

lum fieret, quodam in cœtu ſolicitis admodum iis ex Mauricianis, quibus tota res erat exploratior, & qui omnia perpendebant diligentius cogitando, per iocum iubere eos eſſe bono animo, nam a Carolo vinci Mauricium non poſſe. Quærente vno, quid eſſet cur tam audacter hoc ipſe affirmaret? reſpondit iſte: veteris diuinationis eſſe eam fiduciam, qua prædicta fuiſſe perhiberetur Achilli victoria ſuperaturo Hectorem. Nam vt Achillis nomen numeris, qui literarum notis indicarentur, plenius eſſet quam Hectoris; ſic Mauricii ſtatim initio nomen Caroli nomine eſſe numeroſius. Sed hæc tum ioco dicta familiariter, cum eo exitu, qui notus eſt omnibus, congruerunt. Philippus autem Melanchthon, qui Auguſtam pergere certis de cauſſis noluiſſet, & ſatis, vt putabat, diu expectaſſet Norimbergę literas, quibus quid deinceps agendum eſſet oſtenderetur, neque tali tempore, & a diſputatione verborum negotiis ad armorum vim traductis, apud externos deſidendum diutius exiſtimaret; dimiſſus ab illa ciuitate perquam amanter, & publico munere vecturæ equeſtris inſtructus, in has regiones & ad ſuos tandem eſt reuerſus. Non defuerunt qui deplorarent euentus iſtius infelicitatem, qua impeditæ eſſent de maximis & maxime neceſſariis

ceſſariis rebus, non fortuitæ quædam neque extraordinariæ, quales ſæpe habitæ fuerant, ſed legitimæ atque exquiſitæ cognitiones. Animaduertebatur enim, & exiſtere indies maiores voluntatum alienationes, & diſſidia creſcere, & perturbari mentes pias, denique præparari in diſtractione extrema Reipublicæ interitum. Etſi autem ferebatur, aduentum eorum, qui iamdudum quaſi hoſtes iudicati eſſent, ad Synodum ideo tantum expectari, vt, vel ſimpliciter parerent atque ſubiicerentur autoritati Synodicæ, neque ad illius decreta omnino hiſcere, vt dicitur, nedum reſpondere quicquam auderent, vel audirent vltimæ condemnationis triſtiſſimam pronunciari ſententiam; omnium tamen rerum negotiorumque exitu incerto, erant, qui non malam ſpem conciperent ac foouerent: ſi Philippus Melanchthon Tridentum acceſſiſſet, futurum fuiſſe, vt, audita enarratione, doctrinæ quidem inprimis, ſed præterea quoque cauſſarum, ex quibus tantæ tamque inſanabilium malorum difficultates ortæ eſſent, multorum animi ad conſiderationem ſalutarem & vera iudicia conuerterentur, qui in ignoratione rerum omnium præoccupati inſtitutione puerili & ſermonibus maleuolorum, non poſſent vel de doctrina vel de profeſſoribus illius bene commode-

que

que sentire. Et erat Philippus Melanchthon ita animatus, vt neque itineris longi eum tæderet, neque laborem vllum aut periculum ipse vitandum fugiendumque censeret, dummodo operæ studiique aliquid nauaretur rei ecclesiasticæ tam conturbatæ & afflictæ. Sed ista scilicet ad hunc modum geri oportuit, neque seculi nostri improbitas remedia tam grauis & mortiferi morbi admisit. De qua miseria quamuis multa dici possent, quum frustra tamen a nobis diceretur, tum inculcanda non fuerunt. Persequamur igitur reliqua.

XCIII. D. Mauricius iis rebus confectis & ea consecutus, propter quæ expedita arma fuissent, pacem fieri facile libenterque est passus. Atque fuere qui inter tractatum compositionis & pacis tentarent & molirentur disturbationem bene præclareque institutorum, & actionum salutarium euersionem, solicitando animum D. Mauricii ad copiarum ipsius, dum illæ interea otiosæ essent, turbulentum vsum. Sed quum D. Mauricii virtus, rectique & honesti propositi firmitas, tum eorum, quos eo tempore secum habuit, fidele studium libere aduersando restitit postulationibus iniustis atque pernicioſis. Imposuit autem D. Mauricius toti negotio eum finem, quo fama ipsius non modo moderationis

tionis sed pietatis quoque celebraretur, abductis copiis suis in Pannoniam, & suo adventu territis repressisque hostibus, qui & occuparant iam quædam opportuna loca, & progressuri vlterius ingentemque cladem videbantur toti Pannoniæ allaturi. Est autem in istis consultationibus D. Mauricius quum aliorum prudentia ac fide præstantium virorum vsus opera, tum, vt antea sæpe, Christophori inprimis Carolouicii, ex nobilitate Misnica equestris ordinis præcipui, & a puero optimis disciplinis ac artibus præclare instituti & egregie exculti, & in Reipublicæ maximis grauissimisque negotiis cum summa laude versati. Cuius ipsius quoque retinentis atque vrgentis studium bonarum literarum ac humanitatis inter Reipublicæ curas constantissime, prædicari posset copiose in protegendo caput Philippi Melanchthonis, & ab hoc pericula, quæ ei, vt supra indicatum est, creabantur, propulsando, incredibilis non modo diligentia sed solertia quoque & necessaria tunc calliditas, præstantis tempore difficili amicitiæ veræ officium, & persoluentis beneuolentiæ meritæ memoria animi grati debitum. Sed tunc pax est facta. Id quod gratum acceptumque cunctis, quorum auxilio in eo bello D. Mauricius erat vsus, non fuit. Itaque ipso suas copias in

Pannoniam abducente aduersus Turcicos exercitus, receſſit ab illo Albertus Marchio Brandeburgenſis, & per vaſtitatem eorum locorum, qua iter erat, tranſiit in caſtra Gallica, quæ aduersus Imperatorem Carolum oppugnationem Metenſem in manibus habentem mouebantur.

XCIV. Annus agebatur tunc Ieſu Chriſti M. D. LII. Cuius primo die Calend. Ianuarii mortuus eſt Lipſiæ Bernhardus Ziglerus, de quo ſupra quoque mentionem fecimus, Theologus ex nobilitate Miſnica ingenio doctrinaque excellens, Hebraicarumque literarum ſcientia ea inſtructus, vt in iſtius linguæ cognitione facile cuncti in his regionibus primas ei concederent. Quanquam autem vitam tempeſtiua hilaritate conditam, more gentis noſtræ cum lætitia colere non dubitabat, erat in eo tamen quum in vultu triſtis quædam ſeueritas, tum in verbis libertas, tum etiam vocis aſperitas, vt durus & acerbus aliquibus videretur. Ficta, ſimulata, commenticia, oſtentationem vanitatemque omnem mirifice oderat, & leuitatem atque mobilitatem vehementer auerſabatur. Idem ſupra modum officii memor, inque eo exequendo diligens. Vsque adeo autem cupidus benefaciendi aliis & ſublevandi egeſtatem tenuium, vt & ſuas nequaquam

quam copioſas facultates in aliorum commoda impenderet, neque puderet eum vndique, quod pauperibus tribueretur, corrogare etiam mendicando. A Philippo hic Melanchthone non raro impetrabat, vt operas ille doctrinæ ſuæ inſtrueret, & eam ob rem nonnunquam ſe Wittenbergam conferebat. Neque non facere interdum, vt fores conclauis obſideret, in quo ſedentem aliquid eum conſcribere ſciebat, quod ſibi traderetur, neque admittere aduentantum quenquam, ne inſtituta opera interpellando impedirentur. Obſtabat autem effectionibus doctrinæ, quod nullum manuum vſum haberet, quarum dextram caſu de ædificio extrui cœpto in terram puer adhuc delatus fregerat, & geſtabat de curatione mala enervatam atque inutilem. Itaque cogitandi quoque incitatio minus erat ad elaborandum opus aliquod doctrinæ acris atque vehemens, & mentis vis quaſi langueſcebat. Sæpe poſtea & iucundam conſuetudinem ipſius Philippus Melanchthon & accuratam conſiderationem atque ſolertiam in multis ſacræ Scripturæ locis interpretandis requiſivit, & mortuum crebris gemitibus deſiderare ſe teſtatus eſt. Sed de hoc & ſupra, quemadmodum diximus, eſt mentio facta, neque plura nunc commemoranda duximus.

mus. Pergat igitur instituta narratio, & ea quæ restant exequatur.

XCV. Huius anni bellicas clades in aliis locis, excepit in Saxonicis & Misnicis terris pestilentiæ malum, quo & Wittenbergenses & Lipsenses congregationes scholasticæ dissolutæ fuerunt, aliis alio se conferentibus, quamuis initio Dorgam Wittenbergenses complures, cumque eis Philippus Melanchthon, concessissent. Ego cum familia mea primum Neostadium ad Orilam me contuleram, vbi quum hiematurum me esse constituissem, res ita tulit, vt in patriam pergens proficiscerer. Interea improuisa ac potius incredibilis plerisque, tametsi quidam præsensissent & prædixissent, reconciliatio inter Imperatorem Carolum & Marchionem Albertum accidit, cuius fuit quasi fœtus bellum Franconicum. Nam quum superiore anno Marchio Albertus ciuitate Norimbergensi grauiter afflicta, & ipsa vrbe oppugnata, Præsules duos vicinos in suas conditiones perduxisset, rationibus non admodum æquis, quod Pabepergensibus agri sui eriperentur, a Wurceburgensi ingens pecuniæ summa extorqueretur, quumque Imperator edicto suo omnia ea esse irrita iussisset tanquam cum hoste Imperii contracta negotia; rursum ferebantur eadem illa pacta conuenta autoritate eius-

eiusdem Imperatoris confirmata, & soluta obsidione Metensi, Marchio Albertus parare se ad occupandum denuo recuperata ab Episcopo Pabepergensi, & auferendam a Wurceburgensi summam pecuniæ quam postulauerat, & præ se ferre suum se ius armis persecuturum esse; quibus quum instructior esset, nimirum caussa quoque se potiorem fore existimabat. Vnde sequens annus M. D. LIII. bellum attulit sæuum atque crudele. Quo & patria mea Pabeperga in potestatem Marchionis Alberti tradita & atrociter vexata fuit, arcis castello vicino Aldeburgo dedito, & ipso statim & a Marchione inflammato, inexpugnabili aliquando credito, & capto olim tandem, quum Dominus eius, qui & ipse nomen habuit Alberti, a Præsule Mogunti-no proditus fuisset fraudulenter, & traditus in potestatem Ludouici Imperatoris III. Sed istis nunc & his similibus narrationibus instituta expositio non est interrumpenda. Et alios tunc amicos, & inter hos me, non parvas curas attulisse Philippo Melanchthoni cognitum est. Quum ad metum periculaque pestilentiæ bellorum quoque calamitas adiungeretur. Ipse quidem ad mentionem huius morborum tunc passim vagantis dicere fere solebat: se non eam pestem pertimescere, sed alias, quæ & infestæ essent Reipublicæ,

blicæ & perniciem interitumque communem minari viderentur. Significabat autem quum dictorum tum factorum audaciam impudentem, quam augeri & conualescere vbique in maxima omnium rerum licentia cerneret, atque simul alienationes Principum, potentumque & occulta odia, & facinorum nefariorum defensionem approbationemque, & erga hos aut illos studia commota, non rei negotiorumque æstimatione, sed inclinatione & procliuitate voluntatum ad personas. In quibus quamuis toleranda aliqua aut negligenda viderentur, exempli tamen & imitationis periculum magnopere esset pertimescendum.

XCVI. Commissis autem duobus acerrimis bellatoribus, Duce Saxone Mauricio & Albērto Marchione Brandeburgensi, & Maurieio victore, dum ipse ingentis animi nimia alacritate inuehitur in hostes, fortuito ictu machinæ vulnerato, & post dies tres in castris mortuo, procul eiam tunc absente fratre Augusto in Dania apud Regem socerum, rursum suspensi omnes expectatione futurorum & anxii fuere. Atque est intellectum, verissimum esse quod veterum quidam scripsit: Qui in exercitu dux sit, eius consilia animique contentionem longe potiorem esse viribus effectionibusque corporis:

neque

neque tantum boni ab vllo copiarum ductore fortissime dimicando & profligando hostes manu propria conciliari, quantum damni malique detur morte ipsius. Sed ad hunc casum magnitudine animi, & generosi impetus vehementia, & non viuendi sed vincendi cupiditate ardentis Principis Mauricii, fata scilicet abusa sunt. Atque erat in Duce Mauricio animosa virtus inprimis, neque ille viso hoste moueri periculo, quod metum incuteret aut haberet cautionem, sed cogitatione cupiditateque inuehendi & gerendi rem quasi calcaribus instigari, vt tanquam generosus catulus temere etiam aliquando excurreret, & peteret aduersarios quum ferocius tum inconsideratius. Et ideo in Pannonia quodam tempore in maximum capitis discrimen venit. Et militans quondam in Imperatoris Caroli castris bello Gallico, quum vrbs quædam oppugnante Carolo strenue tormentis globos illos ferreos eiicientibus defenderetur, neque D. Mauricius tamen proueheretur circumspectius aut timidius, conspectus est Imperator Carolus accedens & eum seducens, quod diceret: non scire omnes, quo pacto inter volitantes illos globos decurrendum versandumque sit. Ego ante duos fere menses quam prœlium istud committeretur, Lipsiam redieram, quum

Aegram

Aegram transiissem, vbi tunc legati Cæsaris Ferdinandi, & multorum Principum, nonnullarumque Ciuitatum, consultabant de motibus bellorum, quibus tota fere Germania flagrabat. Non abstinebant autem vrbani in illis tantis ærumnis ioco, quum dicerent: non boni ominis locum ad deliberationes eas fuisse delectum. Sane ita ægre res processit, vt inter non diuturnas tractationes euanescerent omnia. Quum Marchio Albertus interea in Franconia suo se ludo oblectaret, & excitaret maiora indies bellorum incendia, quæ tandem in Saxonicas regiones peruaserunt, cum eo inprimis exitioso euentu, quo D. Mauricius excessit e vita, & quo multis præstantissimis viris interfectis, ita Marchionis Alberti fractæ vires fuerunt, vt nunquam postea quantumuis subleuatus erigere sese & denuo confirmare potuerit.

XCVII. Hoc anno perquam carus Philippo Melanchthoni mathematicus doctissimus Erasmus Reinoldus est mortuus. Et in Britannia decessit Rex Eduardus adolescentulus optimæ & præclarissimæ, vt ferebatur, indolis atque spei. Deque eius interitu varii & quorundam non admodum clementes sermones auditi. Dessauiæ autem migrauit ex hac vita terrena illustrissimus Princeps Anhaldinus Georgius, quum ego mense Iulio in

in Franconiam me recepissem. Principis istius monumentum versibus ornauit Philippus Melanchthon, quem viuus ille & suorum consiliorum autorem & actionum adiutorem fidelissimum atque diligentissimum habuerat. Fuit autem Georgius Princeps is, in quo excelsitas generis atque conditionis cum singulari humanitate coniungeretur; quumque sapientia atque doctrina excelleret, tanta tamen erat in eo modestia, vt paruas etiam res non facile exequeretur vllas, nisi prius diligenter deliberatas, & ad aliquos, de quorum sapientia atque fide bene existimabat, relatas. Quem talem Principem, qui Saxonicarum rerum statum temporis illius nouit, cogetur fateri, propitii Dei clementissimo concessu atque munere his regionibus impertitum fuisse, cuius diligentia, virtute, pietate, fide, sanctitate niteretur salus ipsarum. Sed de huius Principis illustrissima excelsitate, deque maximis in Rempublicam & inprimis ecclesiasticum statum atque ordinem meritis atque beneficiis, quasi prætereundo verba supra quoque fecimus, quum accuratiorem copiosioremque expositionem illa desiderent, deque eo & nostræ & aliorum extent narrationes pleniores atque copiosiores. Mortuus est cum omnium ingente mœrore XV. Calend. No-

vembris. Et dolores Philippi Melanchthonis, quos isto casu acerbissimo acceperat, mox cumulati fuere allato nuncio mortis Iacobi Sturmii Argentoratensis. Cum hoc viro ex nobilitate ciuitatis illius, principe Senatus, & præstante sapientia, virtute, doctrina, experientia & vsu rerum, facultate quoque diserti sermonis ac copiosi præclara prædito, singularis necessitudo intercesserat multis annis Philippo Melanchthoni, & plerisque in consultionibus de negotiis Religionis rationes sententiasque suas illi contulerant. Antecedebat autem Sturmius Melanchthonem ætate, ferme annis septem: qui solebat admirari in hoc summam prudentiæ considerationem, cum admirabili robore excelsi animi coniunctam, quæ diuersis temporibus laus in ipso eminens, vel nullo vel raro certe exemplo, conspecta est. Mutatæ etiam res in Britannia & significatione molestiam exhibebant, & curas afferebant cogitatione Philippo. Nam consobrina Imperatoris Caroli Maria (quam solam inter abortiones crebras viuam pepererat Catharina mater dimissa ab Henrico Rege, quum mox aliam post aliam ille duxisset) Regina facta, quæ deinde nupsit Philippo Caroli Imperatoris F. Hispaniarum Regi, Ecclesiarum statum, quem frater consangui-

sanguineus ipsius paullo ante confirmatum reliquerat, prorsus conuertit, non etiam nullis antiquatis a patre Henrico sancitis. In quibus præcipua fuit subtracta obedientia Pontifici Romano, & vendicata Regi. Quæ omnia tum resciissa, & sub potestatem ditionemque Pontificiam denuo subiectum regnum illud fuit, & horribili sæuitia crudelitateque vexati sunt aduersarii & dissentientes, exiliisque & direptionibus bonorum afflicti, & igne ac ferro necati: neque pepercit tum vlli sexui, ætati, generi, conditioni, immanitas arripientum pro seditiosis atque impiis, quacunque de re non assentientes rerum summa potientibus in cunctis, quæ eis forte placuissent.

XCVIII. Quum autem in Prussia res essent admodum perturbatæ, & contentiones indies crescerent, & dissidia augerentur, illique veluti igni materia ab externorum quoque peruerso studio præberetur, in restinguendo eo incendio diligentia atque labor Philippi Melanchthonis parum proficere potuit. Atque corripuit ea flamma generum quoque ipsius Sabinum, qui impatiens quarundam, vt ipse putabat, iniuriarum, eo tempore ex Prussia discessit. Etsi autem erat ea hominis virtus & doctrina & experientia rerum, variæ denique & singulares

ingenii dotes, vt a compluribus expeteretur opera ipsius, inque his ab Augusto Principe Electore Saxonum Duce; ad suæ tamen ille patriæ Dominum, clementissima benignitate accersentem & luculentam conditionem ferentem, sese contulit. Inter quæ & curarum nonnihil & plurimum negotii exhibitum fuit Philippo, non tam respectu suorum, quam solicitudine de Sabino, quem diligebat & quam ornatissimum esse cupiebat, quamuis ab eo non leuiter, id quod supra perstrinxi, aliquando offensus. Atque Prussiaca negotia iam implicabant alios complures, apud quos eædem controversiæ idsceptabantur, non modo vehementer sed alicubi tumultuose etiam. Accusabanturque a nonnullis Theologi Wirtenbergenses, quasi neque satis attente & caute ad quædam interrogata initio respondissent, & plus concessissent autori illarum turbarum, quam viderentur debuisse. Edebanturque scripta a diuersis eiusmodi, quæ non tam ad rem explicandum, de qua litigabatur, quam alienationes animorum maiores faciendum, momenti aliquid haberent. In Misnicis etiam regionibus de liberationes de Ecclesiis scholisque constituendis excercebant Philippum Melanchthonem, quem & consiliorum omnium illustrissima aula socium, & consultorum administratorem volebat esse. Propone-

ponebantur autem capita de inspectione Ecclesiarum, de iudiciis ecclesiasticis ordinandis, & quibusdam ad rem scholasticam pertinentibus. In quibus si non omnibus vndique, aliquid tamen alicubi operæ nauatum, & nonnulla vtiliter conformata aut correcta, quædam vtilibus institutis rationibusque sustentata esse constat. Placuit anno Christi Iesu M. D. LIIII. vt quidam, maxime propter Prussiacas rixas, conuenirent Naumburgi in Duringia. Eo accessit cum Philippo Melanchthone optimus vir & doctissimus Theologus Iohannes Forsterus, Hebraicarum literarum inprimis peritus, qui varia & duriore aliquando fortuna conflictatus, tandem Wittenbergæ confederat, doctrina sua Academicam illam communitatem augens atque ornans. Vbi & mortem placide obiit anno Christi Iesu post millesimum quingentesimum quinquagesimo sexto. Accesserunt & alii, & ex Academia Lipsensi Alexander Alesius patria Scotus, valde carus Philippo Melanchthoni, rei theologicæ intelligentissimus, & artifex excellens congruentium disputationum, & vir dignitate atque doctrina exquisita præstans. Ex Hessiacis affuere quum alii tum Adamus Craftus, de quo alibi mentio a me facta est, magis vt a me fieri potuit honorifica, quam pietas,

sapientia, virtus ipsius mereretur. Argentorato autem Iohannes Sleidanus aduenerat, autor libri historiarum paullo post editi, & ab aliis in aliam partem accepti, quod ipsum postea cura solicitudineque varia affecisse, compertum est. Wirtenbergenses, qui in viam se dedissent, & non abessent longissime, (Gotham enim, quod oppidum Duringiæ est, venisse eos nunciabatur) nescio quam ob rem aut famam, non perrexerunt, neque in illo conuentu affuerunt. Perscripta sunt quædam tunc de communi sententia omnium, breuiter illa quidem, sed id, de quo quærebatur, plane & luculente explicantia, & quæ non paucorum dubitationes sustulerunt. Atque ita fere annus iste abiit, inter disputationes de doctrina & bellorum caussis, atque tractatæ conuentibus actis rationes fuere componendi res & sedandi commota. Sed frustra pleraque omnia suscepta atque tentata. Itaque solennis Imperii Romani conuentus indictus, & frequentes conuenire iussi sunt ordines Augustam Vindelicorum. Et in Germania turbulenti homines passim Ecclesiarum status turbare, & ruere Marchio Albertus, donec & ipse prorsus concidit, & caussam dedit, vt in Franconia vrbs Imperii ad Mœnum vetus, quam occupatam præsidio copiarum suarum tenuerat, miserabiliter inflammaretur. Multa prodigia nunciata tunc fuere. Visum in Silesia ardere cœlum, alicubi conspecta species exercituum, quasi qui commissuri prœlium essent. Teterrimum autem, quod multis in locis sanguine pluisse constaret. In Francosnia apparuisse narrabatur viri species cruorem effundentis in solem, & prope hunc conspectam esse aquilam conantem altius euolare, itemque virum adstantem equo. Non longe autem a Wittenberga sol cruentus dividi visus est, & partes dilabi, & exercitus confligentes, & quasi in excelso monte cervus. Quibus animaduertebatur valde commoueri Philippum Melanchthonem, sed ex omnibus vno maxime, cuius simile neque audiisse se neque legisse aiebat; quum pro certo & explorato haberetur, in oppido Duringiæ, cui Nebræ nomen, sobolem muliebris sexus modo natam interiisse flamma necatam, quæ erupisset ex vtero materno. Multa quoque templa de cœlo tacta passim esse affirmabatur.

XCIX. Non putaui omittendam mentionem externorum quoque hominum, cum quibus singularis vsus aliquis & eximia familiaritas Philippo Melanchthoni intercessisset. Voco autem externos eos, qui Germaniam nostram patriam non habent.

Fuit igitur perquam curas illi gentis Pannonicæ adoleſcens nobili admodum genere natus e familia Iaxitia, quem mortuum Wittenbergæ ita luxit Philippus Melanchthon, vt quantopere eum dilexiſſet, & quam triſti deſiderio afficeretur amiſi, plane liquidoque perſpiceretur. Multum etiam & perquam familiariter vſus eſt Sigemundo Geloo, qui poſtea in ſua patria admodum honoratus præcipuis muneribus functus eſt. Ex Italia aduenies Lælius Mariani Socini celeberrimi Iuriſconſulti F. ſe, & patriam, & florentem opibus & dignitate domum, & ſpem amplisſimæ fortunæ, ſolius Philippi Melanchthonis videndi gratia reliquiſſe, præ ſe ferebat. Animaduertebatur hunc ardere ſtudio cognoſcendi iis de rebus, quæ tunc diſceptabantur, certi firmique aliquid. Eumque nunciabatur poſtea adhuc iuuenem ingenio ſummo & doctrina præclara excellentem mortem obiiſſe in Heluetiis. Ex Hiſpania habuit Philippus Melanchthon ſecum virum gravem admodum conſtantemque, & fortem in iis aſſerendis defendendisque, quæ vera atque recta eſſe diſcendo comperiſſet. Eum nominabant Franciſcum Dryandrum. Sed familiæ, vt ferebant, apud ſuos inprimis nobilis appellatio alia erat voce gentili, quam Græcum illud nomen quodammodo interpretaretur.

De

De Anglis ſupra aliquid dictum eſt. Gallicæ autem nationis Hubertus Languetus Heduus (Burgundi nunc nominantur) multis annis vixit verſatusque eſt apud Philippum Melanchthonem, quum Wittenbergam veniſſet anno Chriſti M. D. XLIX. Neque ab ipſo diſceſſit, niſi interdum per interualla quædam peregrinationum, quibus mirifice delectabatur, donec Philippi Melanchthonis vita in terris durauit. Vt horum conſuetudo annum attingat duodecimum. Erat autem Philippo grata atque iucunda multarum magnarumque rerum, quas ille tenebat, commemoratio, & oratio de Regibus Principibusque gubernationum, & aliis ſapientia, virtute, doctrina præſtantibus viris horum temporum. Neque ego audiui vllum alterum, qui tam prudenter, & certo, & plane, dilucide, diſerte exponeret, quicquid narrare inſtituiſſet. Non ille in hominum nominibus falli, non indiciis temporum errare, non confundere rerum negotioque ſeriem. Erat autem in eo ſingularis ſagacitas in notandis naturis hominum, & coniiciendo, quo quisque ſuopte ingenio deferretur, & quæ eſſet voluntatis inclinatio. Conſiliorum etiam ſolertiſſimus æſtimator, & eventuum futurorum prouiſione admirabilis. Hunc lectio libri cuiusdam in Italia, vbi

tunc ipſe degeret, a Philippo Melanchthone compoſiti, cupiditate incenderat videndi autorem illius, & ea ſtimulos perpetuo admovens perpulerat tandem, vt in Germaniam veniret & Wittenbergam ſe conferret. Vbi more conſuetudineque ſua accepit eum Philippus Melanchthon humaniſſime, & perſpecta virtute integritateque eius, ſecum eſſe libenter paſſus quoad vixit; & obſeruantiam fidemque ipſius eſt expertus, ſummam benevolentiam erga illum perpetuo retinens. Suntque ſæpe auditi ſermones Philippi Melanchthonis, prædicantes accurate Huberti probitatem, & ſtudium veritatis, & prudentiam, & explicatam cognitionem atque ſcientiam earum rerum, quarum periti & ſibi laudem & aliis vtilitatem acquirere conciliareque conſueuerunt. Hubertus vero eam grati animi ſignificationem honoremque Philippo viuo, & mortuo meritorum recordationem pietatemque, præſtari ſemper ſtuduit, vt perſpicue declararetur animi ipſius ſingularis erga illum affectio, quem omnibus officiis præſentem coluiſſet, & cuius erepti nomen honore veneratioque perpetua, & memoriam deſiderio ac lacrimis proſequeretur. Sed hactenus in iſto indicio conſuetudinis cum externis hominibus Philippi Melanchthonis moratam eſſe narrationem no-

ſtram habeatur ſatis, quum alios innumerabiles vndique locorum ac gentium ad ipſum videndum, compellandum, audiendum, adueniſſe non ſit obſcurum neque ignoretur. Adiungantur ergo iam expoſitis reliqua.

C. Hoc Chriſti anno M. D. LIIII. illuſtriſſimo atque laudatiſſimo Principi Iohanni Friderico Saxoniæ Duci, poſt obitum illuſtriſſimæ coniugis rebus omnibus pacatis placide mortuo, Philippus Melanchthon cum bonis vniuerſis memoria animi grati & veri doloris luctu iuſta fecit, cuius fortunam & caſum ſæpe deplorauerat, qui exceſſit e vita V. Non. Martii. Huius Principis virtutem, conſtantiam, animi excelſi magnitudinem, & perferendis, quæ neceſſe eſſet, patientiam, fidemque ad Deum & homines, ſuſpicientes admirati fuerunt & prædicarunt hoſtes quoque. Quod ſi iſte laudum tantus ſplendor leui forte macula aliqua aſperſus putetur, ita ſcilicet intellectum eſt, hominem eum fuiſſe, quorum hæc eſt conditio, vt nemo omnium penitus labis expers ſit. Atque vt aliud aliis vitii eſt, ſecundum Comicum, ſic accidit magnis & fortibus animis, vt interdum altius extollantur quam æquum eſſe videatur. Vnde fit, vt ea ſuſcipiantur moueanturque, quæ, niſi proceſſus habeant fortunatos

natos & exitus felices, omnem omnium reprehensionem effugere nequeant. Quidam autem ita peruersi sunt, vt neminem satis laudatum putent, nisi sermonibus suis aliquem in cœlum ferant, &, quemadmodum veteres locuti fuerunt, cum Deorum immortalium laude coniungant. Neque vident hoc pacto non ornari sed deformari eum, quem celebrare instituerunt, quum de homine verba facientes non hominis effigiem exprimi studeant & perpoliri oratione sua. Sed & de his satis vel nimium potius.

CI. Anno Iesu Christi M.D.LV. Non. Febr. præsente Augustæ Vindelicorum Ferdinando Rege & Principibus non multis, proposita fuere capita deliberationum. Quumque in mentione de re ecclesiastica, quod Religionis negotium appellabatur, tres rationes indicarentur, quibus laboranti illi & dilapsæ consuli subuenirique posse existimaretur, fuit vna ex his congressus doctorum hominum, qui rursum de Religionis negotio colloquerentur. Itaque & Philippus Melanchthon iussus fuit parare se, & expectare literas, quibus, quid agendum & iter illud quando ingrediendum esset, ei significaretur. Sed tum quidem molestia hac affectus non est, & reperta alia via ad incommoda ac mala

mala illa non tam sananda quam mitiganda, & procurandum ne latius saltem serperent. Hoc quale sit, coniicere licet ex præcepto & sententia Peligni Poëtæ de eo, quod ipse vocat immedicabile vulnus. Permissa tamen tunc, non paucis admirantibus, concessaque fuit vsurpatio aliqua eius doctrinæ, cuius assensioni prius vltima supplicia & grauissimæ pœnæ constitutæ fuissent, & adhuc alicubi essent. Sane quid suscipi tentarique forte potuisset, incertum est, & erat expectatio omnium fere solicita atque anxia. Nam Romanus Pontifex Iulius III Augustam ablegarat Iohannem Hieronymi F. Moronum Cardinalem, quem aiebant & prudentia & eloquentia esse instructum, & vias nosse quibus se in animos quorumcunque insinuans, illorum voluntates gratiamque sibi facile conciliaret, eosque perduceret in sententiam suam; & iis artibus præditum præ cæteris, istoque nomine in præcipua esse eum existimatione. Idem, quum Episcopus Mutinensis illo tempore nominaretur, legatus ad eum quoque conuentum, quem Ratisbonæ egit Carolus Imperator anno Christi M. D. XLI. antequam ad bellum proficisceretur Africanum, existimatioque, de eius sapientia virtuteque & facundia inprimis perquam præclara fuit. Habuit hic patrem supe-

ſuperiore ætate ſapientiæ laude celebrem, cuius conſiliis gubernatam rem Mediolanenſem eſſe ferunt. Deque eo quod accepimus, huic narrationi ſi inſeruiſſem, neque prorſus hoc alienum viſum iri, neque ingratum lectori futurum eſſe ſperaui. Quibus temporibus inter arma Cæſariana atque Gallica Franciſcus Dux Mediolani tanquam in maris commoti ſæuiſſimis vndis iactabatur, aliquando poſtulatum ab ipſo fuit, vt in caſtra vicina Cæſariana ſe conferret. De qua re quum accurate deliberaretur, non putarunt conſiliarii faciendum eſſe, vt ipſe Dux illo accederet, manifeſtum ac præſens periculum, quemadmodum coniiciebatur, aditurus. Atque principem conſilii ſui mitti illuc placuit Hieronymum Moronum. Credebatur hic de iis, quæ fieri aut non fieri deberent, admoneri voce quadam, quæ, nemine niſi ipſo exaudiente, emitteretur ex annuli cuiusdam conuerſa ad aurem pala. Conſueviſſe igitur ferebatur, quoties de euentu aliquo certior fieri cuperet, quaſi de propoſita re cogitaret, cubito nitentem manum & ita annuli palam auri admouere, vt de quibus quærebat aliquid cognoſceret, quumque id ipſum tunc quoque feciſſet, ſermone Italico pronunciata audiiſſe hæc verba: Ibis redibis, non eris captiuus. Quæ quum ipſius intelligentia ſic diſtinguerentur, vt ſignificaretur id quod optabat, profectus fuit in caſtra, atque ibi captus & duriter crudeliterque tractatus, illorum verborum aliam ſententiam fuiſſe, & ſe diſiungenda copulaſſe, demum perſpexit. Hunc Cardinalem in non paruum diſcrimen paullo poſt veniſſe dicebatur, potiente rerum Iulio III. Sed tunc ille, nunciata morte Pontificis Romani Iulii III, cum feſtinatione ſumma Romam, relictis omnibus, recurrit. Atque eo tempore, quemadmodum narrari cœptum eſt, liberatus fuit Philippus Melanchthon ſolicitudine & labore ſcriptionum diſputationumque de Religionis negotio. Amiſimus hoc anno nos ambo vſum ſummi amici Danieli gente Stibari, ordine equitis Franci, dignitate Canonici in collegio primarii templi Wurceburgenſis. Amicos enim non dubitabat ille nos appellare, & eſſe ſe amicum reipſa declarare non deſiſtebat. Quum me quidem propter ſocietatem honeſtorum ſtudiorum, qua coniuncti a prima ætate fuiſſemus, fratris nomine dignaret. De huius viri virtute, animo conſtante & magno, ingenua orationis libertate, beneficentia in ſuos, amore patriæ, liberalitate & humanitate erga omnes, tota denique vita digna generis ſui nobilitate, & alibi vera narrauimus, & nunc in his exponendis morari minus opportunum videri poſſit. Quare proſe-

prosequamur commemorando proposita, & id agamus, quod est in manibus.

CII. His igitur temporibus in Anglia ea patrabantur, quibus & Philippi Melanchthonis & aliorum animos ingente dolore affici necesse erat. Crudelissime enim interficiebantur ferro ignique innocentissimi & sanctissimi viri, in quibus venerandus Senex Latimerus nominabatur, & Cantuariensis Episcopus Thomas Crammerus. Sed hic quod esset dignitate ac loco summo atque primario, supplicium aliquanto sumtum est de eo posterius. In Latimero, singulari olim Erasmi Roterodami amico, & religiosæ pietatis cœlestisque veritatis ardentissimum studium, & idem exquisita cognitione optimarum literarum atque artium, & facultate eruditæ doctrinæ celebris fuit. Qui vbi cum socio criminis pulcherrimi atque glorioſissimi, quod Euangelium Iesu Christi Filii Dei profiterentur, Episcopo tunc Londinensi, ad rogum constitissent, productum eodem de carcere, ferebatur, etiam Crammerum fuisse, vt mortis atrocitate & horrore spectaculi illius deterritus sententiam mutaret. In qua quum nihilominus hic permaneret, atque supplice etiam gestu oraret, cum sanctissimis illis viris vt mortem sibi communiter afferri decerneretur; falsi autores

res consilii huius sua opinione, istos quidem viuos comburendos, hunc autem in carcerem reducendum curarunt. Vbi primum in squalore, & mox spe quadam bona & commodis quorundam sermonibus inductus, traditur aliquantulum vacillasse, & nomen suum subscripsisse, nescio quibus, aberrantibus a simplice veritate cœlestis doctrinæ, quam ipse esset professus: sed mox illustri confessione sententiam pristinam declarasse, & manum etiam detestatum, quæ se nefario operi ministram præbuisset, atque ita crematus fuisse. Similis sæuitiæ in alios complures tam in Anglia quam Gallia incitatum odium rabiose est debacchatum illo tempore, tanta importunitate, vt prior calamitas iam fuisse tolerabilis videretur, quæ fuisset maxima atque acerbissima. Verum hæc nostra commemoratione enarranda hoc loco non sunt, & hactenus producta mentio sufficere poterit instituto nostro.

CIII. Indicatum autem supra est, quid turbarum fuerit commotum importuna quadam nouitatis vsurpatione in doctrina ecclesiastica ab Andrea Osiandro. Huius mortui etiam factio non quiescebat, &, vt verum fatear, exculcerari negotium videbatur importunitate quorundam, ambitiose magis quam necessario quasi ventilantum

dissidium illud, & non patientum flammas contentionum extingui. Exarseruntque passim certamina de illis rebus plane gladiatoria. Quæ tanta extiterunt Norimbergæ, vt ferri in ciuitate pacata diutius non possent. Eo igitur ventum est, vt peteretur a Philippo Melanchthone iam non consilium, quod ante dederat, sed auxilium, quod perturbatæ Ecclesiæ ferret. Ita, impetrata hac venia ab illustrissimo Principe Electore Augusto, Norimbergam ille est profectus, adiuncto sibi hinc Alexandro Alesio, & tum forte hospite Iacobo Rungo Pomerano, quibus & ego me eo itinere comitem præbui. Atque fuit præsentibus Norimbergæ præcipuis in Ecclesia docentibus ea controuersia ita disputata & sedata, vt ab hac deinde quieta fuerit omnino ciuitas illa: complexusque est dogma scripto Philippus Melanchthon, breui illo quidem sed diserto & illustri, sine vllius reprehensione aut insectatione, veritatis simplice oratione exposita, qua assererentur probata, & refutarentur ea quæ damnabantur. Id quod optimi & sanctissimi veteres quoque feciſſe animaduertuntur in Nicena Synodo, declarata sententia vera atque recta Ecclesiæ Catholicæ, & refutata contraria, inculcato nullius aduersantium nomine. Spes fuerat, aduenturum esse eodem Iohannem

nem Brentium, sed literis hic missis ostendit cur accedere eo tempore non licuisset, & differuit quædam de rebus illis quæ tractabantur. Duo, qui quærere disceptareque amplius vellent, neque explicatione prolata contenti essent, tunc discesserunt dimissi benigne. Cæteri inter se concordantes tranquillitati in ista parte studiose operam dederunt.

CIV. Reuersum autem mox domum Philippum Melanchthonem exceperunt rursum aggressiones quorundam de disputationibus & turbis Flacianis. Sibi enim Flacius iam non modo vulgi studia, sed nonnullorum magnorum & principum virorum voluntates astute circumuentas adiunxerat. Ferebanturque leges Philippo, quibus inter ipsos gratia reconciliari videretur posse, & tantus furor erat hominis, vt leniſſime dicam, improbi, vt accedere tandem propius non dubitaret, & euocare ad colloquium Philippum. Hic vero quum de ea re scribebat, respondens literis quorundam, grauiter & plane, tum illa talium congressuum postulata præcidebat. Et quia prohibere quasi illuuiem illam insaniæ non poterat, intra suam stationem resistens, & faciens, vt prius, officium, neque ab hoc sinens abduci sese, iracundia, odio, cupiditate, spe, iniuriasque omnes perferens, & contemnens

mnens incitationes ſtolidæ vehementiæ, ita permittebat Deo æterno cætera. At hi illo ipſo irritabantur, & libellos ſcriptorum turbulentorum emittebant in vulgus, & arripiebant ad lacerandum plurimos optimos & doctrina atque pietate præſtantes viros, quibus maledicendo acerbitati indulgebant animorum ſuorum, & odiis conceptis obſequebantur. Vera falſa, certa dubia, conſentanea diſſentanea, propria aliena, conuenientia abſurda, proferrentur in medium, non curabatur. Et ſatis erat, crimen aliquod illatum eſſe. Nam adhæreſcebat in hac parte, quam Philippus Melanchthon deſerendam ſibi non putarat, ſtatim quicquid eſſet tanquam telum accuſationis & culpæ coniectum. Vt autem magi ignotis & barbaris nominibus ſimplices infatuant, ſic iſti appellationibus mirificis & obſcuris vulgi animos percellebant, & quaſi inhians ſibi circumducebant, Adiaphoriſtas, Synergiſtas, Maioriſtas, & neſcio quæ alia vocabula nuncupando comminiſcendoque offundentes. Fiebat autem, vt confuſa negotia publica ac priuata, & eccleſiaſticæ ciuilesque res, materiam darent inſimulandi inuidiaque grauandi eos, a quibus aliquis alienior forte eſſet. Et Flaciana factio iactans ardorem quendam & flagrans ſtudium rerum diuinarum, ſi qui illam

illam vehementiam improbarent, & moderationem lenitatemque aliquam adhiberent, ſtatim deſertores & proditores cauſſæ eos eſſe vociferari, & ingerere conuicia, & diſputationum conflictus poſcere, & veluti in arena exultare atque prouocare aduerſarios ad luctandum. Quæ omnia ad vulgus & imperitos & rerum negotiorumque ignaros erant ſpecioſa, & celebritatem nominis Flaciani augebant. Atque inueniebantur quidam, qui paria facerent, & veris contumeliis iſtos appeterent, neque ſciente, & ſi reſciuiſſet, perquam grauiter & moleſte ferente Philippo Melanchthone. Sed ii tantum proficiebant, quantum ad reſtinguendam flammam infuſum oleum. Ad vnum enim probrum in promtu ſtatim erant quæ obiicerentur decem. Diceret quispiam falſa de inanibus rumuſculis collecta aut conficta ab ipſis ſpargi: aliquam illi fabulam contra narrare, & eludere crimen, & ſcurrarum more impudenter inde noui vitii infamiam detexere. Quæ autem dicebantur ac docebantur vere & vtiliter, ea peruertendo & cauillando detorquere, & conquirere atque venari vndique omnia, quibus de quietis & pacis cupidorum & paullo modeſtiorum exiſtimatione aliquid detraheretur, & his inurerentur maculæ. Vetera ac noua, dictaque & facta,

atque syllabæ pene, calumniarum malitia ad ignominiam arripiebantur eorum, a quibus ista caterua discesserat: quum docendo magistros, benefaciendo pene parentes haberent plerosque, & propter ætatem certe & dignitatem atque excellentiam plurimi ex his eos obseruare & colere deberent. Quemadmodum autem olim, quum histrionum ars cognita atque probata fuit, pluris fieri cœpisse actores fabularum quam scriptores traditur; sic accidit tunc prauitate hominum & vulgi leuitate, vt isti simul atque alii, eorum, quibus præceptoribus vsi fuerant, dicta ac scripta diuersis gestibus iisque partim ineptis partim turpibus agerent, & quum malitiose interdum corrumperent, ita applaudentes sibi inuenirent complures. Quia autem differebantur res arduæ & magnæ, ideo ista cohors tumultuari, & vehementia declamitandi perturbare audientum animos, & assentari hominum cupiditatibus, & hoc pacto facile reperire assentientes seque eis adiungentes. Grata erat plurimis reprehensio atque notatio eorum, quibus licentia vitæ coerceretur, & maior prohiberetur dissolutio. Libenter igitur admittebatur, & fortes isti perhibebantur, tanquam libertatis defensores, erantque in pretio. Quid vero melius, rectius, salutarius omnium isti protulerunt, docuerunt,

runt, enarrarunt, quam ii quos tam hostiliter oppugnabant? Sed erant illa scilicet iam vsitata, ac nouitate delectabantur homines, quorum voluntati istud genus specioſe inseruiit. Quemadmodum autem erga cives plerumque propter vsum consuetudinis affectio est remissior, ita vulgus, quantumvis bona & vtilia, iam familiaria atque consueta, minus curare solet, & aucupatur externa ac noua. Atque isto quasi turbine multa honesta consilia, non paucæ præclaræ actiones peruersæ sunt, spes tranquillæ cuiusdam quasi serenitatis debilitata atque erepta, pietas & religio labefactata, quum interea fulcirentur superstitionum & errorum vitia. Quod nunc cœptum est ab iis quoque intelligi, qui istos aliquando vel foverunt vel non certe excluserunt. Quum enim ista factio audacissime, vel potius impudentissime, sine omni rerum, personarum, temporum, consideratione effutiret & dissiparet, quicquid non in mentem, quam haberet nullam, sed in buccam, vt dicitur, veniſſet; in hoc malo id inerat boni, quod fiebat, quemadmodum Tragicus Poëta ait improbis & vanis vsu venire, vt cogitationum voluntatumque

Certum atque verax indicium lingua faceret,

declarans illa ac profitens, nihil se esse petulantius neque magis leue atque futile, & proferens quum scelerate & nefarie conficta de optimis & innocentissimis ac publice privatimque bene meritis viris, & sese antesignanam ducemque præbens ad Reipublicæ reliquam quietem exturbandam, ad vastitatem inferendam Ecclesiis, ad laxandam multitudinis promiscuæ licentiam, ad totius denique adhuc consistentis honestate quadam nonnulloque pudore vitæ dissolutionem. Haud sane nescimus, huic importunitati prætendisse istos exempla sanctæ antiquitatis: quo quidem non minima ex parte eminebat vel furor vel certe stultitia ipsorum, qui nullis consiliis aut actionibus similibus & conferendis, tanquam latrones aut hostes, sub illorum exemplorum quasi tecta subirent, vbi lateret impietatis istius detestanda pernicies. Etsi autem adhuc reperiuntur hic aut illic nonnulli, qui pertinaciter defendant quamvis perspicuam peruersitatem atque vesaniam: & fit tamen indies, etiam in satietate quadam, assensio infirmior, & aperiuntur plurium oculi, & contracta damna intelliguntur, & dissensiones inde tum manifestæ tum occultæ existunt. Est autem profecto non leuissima causa miseriæ istius, seculi nostri effrenata exultatio, & infinita licentia, & sum-

summa dictorum factorumque impunitas, non modo declamitandi & concionandi pro eo, vt cuique libet & fert impetus animi commoti, sed proferendi quoque & edendi mandata literis ea, quæ vnusquisque somniasset aut vigilans fingere comminisci que potuisset. Sed inprimis liberæ & crebræ tunc erant disputationum dimicationes, & criminationes confutationesque mutuæ, & iurgiorum contumeliæ: quique alterum insectando vehementissime exagitaret, & in eum inueheretur acerrime, & pro suis qualibuscunque audacissime propugnaret, is fortissimus habebatur & laudabatur inprimis. Omnes itaque librorum officinas, accusationibus, defensionibus, purgationibus, insimulationibus, & pugnacibus sæuisque scriptis refertas cerneres. Hoc loco mihi venit in mentem, quod legibus antiquis constitutum fuisse traditur, vt alterum in iudicio falso & temere accusantes eam pœnam sustinerent, quam luere oportuisset reum si conuinceretur. Erat enim æquum, valere idem in eos, qui contradicendo inscite & nugatorie & perperam refellere aliquem conarentur. Quia vero actio datur illa quidem in iudiciis iniuriarum: ficta autem atque falsa crimina alicui inter altercandum inferri, & obtrectando maculas aspergi, modo prætendatur

datur ardor asserendæ & defendendæ veritatis, non modo animaduersione caret, sed laudem etiam passim inuenit; ita scilicet fit, vt optimos & grauissimos viros leuissimi deterrimique insectentur & exagitent. Quanta autem nunc copia quoduis argumentum, sed præcipue aliquod sanctæ Religionis caput, explicantium & de hac dimicantium librorum euolat? In Aegypto olim, quemadmodum fertur, quod quisque in aliqua arte excogitasset, id in conuentu peritorum consideratum & diiudicatum sic demum, si approbatum esset, curabatur tanquam verum in columnis perscribendum, quæ in sacris quibusdam locis seruabantur. Tales conuentus nunc quoque agi erat optandum, & expediret, vt de iis scriptis, quæ proferenda aliquis in lucem & edenda existimasset, docti & sapientes consulerentur, deque eorum sententia vtilia ac bona publice reponerentur, mala atque pernicioſa oblitterarentur deleado. In quo melius esset, ne nomen quidem scriptoris conseruari, id quod in Aegypto quondam factum fuisse accepimus. Hoc sane pacto obuiam iretur cupiditati immodice ambitioſorum, & gloriæ appetitio reprimeretur, & non complerentur animi hominum opinionum mirabilium absurdarumque varietate. At nunc, quoniam & scribendi facultas conceditur cunctis, & iudicandi potestas datur cuilibet; qui sunt audaciſſimi, ii vulgo in pretio honoreque habentur, & omnia vbique perniciosis & turbulentis contentionibus personant. Verum apponantur & ista ad miserarum nostri temporis aceruum, & fatalium pœnarum grauitatem.

CV. Inter hæc disſidia & istas secessiones, qui adhuc supererant, pauci illi sane ex vetere sodalitate & quasi grege eorum, qui initio ad veritatis cœlestis & optimarum disciplinarum doctrinam colendam sese coniunxerant, cum maximo dolore recordabantur præteritorum temporum, & tantam mutationem vitæ atque morum deplorabant. Meminerant, sua ætate inimicitias etiam inter aliquos manifestas non fuisse expertes humanitatis & moderationis, contendentibus illis non hostiliter sed ciuiliter: in suscipiendis autem gerendisque rebus quibuscunque communicata consilia, & collatas sententias rationesque, magno studio & opinione mutuæ beneuolentiæ singulari. Quæ tradere docendo aliis, quæ composita scribendo edere aliquis volebat, quæ negotia conficere agendo, ea tunc non temere sed deliberata & recognita cum amicis ita aggredi,

gredi, si videretur, & proferre, aut, si non videretur, relinquere & premere. Hanc igitur suauitatem illi superioris temporis participes adhuc reliqui in tantam acerbitatem, & vitam, ex congregabili atque mansueta, tam feram ac soliuagam euasisse, dolebant, & miserabantur prolapsionem ætatis suæ, & nihil læti de futuris poterant ominari, accedente etiam senectutis diffidentia atque difficultate. Sed his temporibus, in quibus versatur ista pars narrationis nostræ, & dum ea, quæ exposuimus, ad hunc modum geruntur, multi interea ex Boiemia fuere edictorum sæuitia eiecti, qui aliquid dicere aut facere ausi fuissent prioribus & antiquis obseruationibus & ritibus contrarium. Exulabantque complures, coniuges præsertim sacerdotes, perquam miserabili specie. Et amisit Philippus Melanchthon amicum præcipuum Iustum Ionam. Hic celeberrimo Iurisconsulto Henningo Gœdæ, præposito rei ecclesiasticæ Wittenbergæ, successerat, & hoc anno Christi Iesu M. D. LV. migrauit ex hac vita, vir dignitate excellens & præstans doctrina, quum Wittenbergam prorsus reliquisset, in superiorum annorum bellicis tumultibus, & mutatione gubernationis. Etsi illinc abesse cœperat, & conciones habere, antea quoque in Salinis Saxonicis. Sed tunc his regionibus

bus excesit, & aliquantisper in aula Ducum Saxoniæ D. Iohannis Friderici FF. commoratus, præfectus deinde Ecclesiæ in oppido Eyssefeldo, ibi mortem obiit, habens annos LXIII.

CVI. Ad Danubium autem conuentus agebatur anno Iesu Christi M. D. LVI. Et de Religionis negotio iam conuenerat: vt delecti aliquot vtriusque partis congregarentur in Vangionibus Berbetomagi, deque controuersiis ortis inter se placide colloquerentur. Nominabantur autem iam alteri non magis Protestantes, vt olim, sed addicti Confessioni Augustanæ; alteri Catholicorum, & antiquæ Religionis, nomen obtinebant. Accesserunt illuc quum alii tum Philippus Melanchthon: serius hic quidem, quod eo anno profectus in Cimbricam Chersonesum ad Regem Daniæ, affinem suum, Dux Augustus, iussisset operiri illum mandata sua. Tandem vero æstate anni M. D. LVII. est tamen iter & ipse ingressus, deducente eum, qui ab Augusto Principe legabatur, generoso & nobili Comite Ludovico Neogardiensi. Ibidem affuerunt & a Saxoniæ Ducibus D. Iohannis Friderici FF. missi Theologi, & earum rerum de quibus differendum esset periti, & spectati homines quum bonarum artium tum cæterarum doctrina-

ctrinarum, & viri non vulgari autoritate præditi. Sed a Flaciana, quæ tunc apud illos Pincipes in existimatione præclara erat & regnabat, factione, eas leges habebant latas præscriptasque & constitutas conditiones, vt alienæ sententiæ actores non autores suæ advenirent. De quibus rebus hoc primum optarim, famam omnem perpetui silentii latebris occultari & æterna obliuione potuisse obrui. Sed quoniam illæ multorum sermonibus & quorundam scriptis quoque celebratæ sunt, pauca hoc loco a me dici, ad instituti operis rationem & meam diligentiam fidemque pertinere duxi. Erant ad decretum colloquium, de controuersis in doctrina ecclesiastica capitibus, designati præsides, primum Spirensis Præsul, sed hic obire munus istud morbo impeditus non potuit. Suffectus igitur fuit in locum eius Iulius Præsul Naumburgensis. At Mersburgensis, princeps erat sui gregis. Hunc Sidonium nominabant, quod in eorum numero, qui Suffraganei vocantur, Moguntiæ aliquando titulum habuisset Episcopi Sidonis. Ita enim ludere in maximis rebus non est verita, posteaquam os perfricuit & omnem pudorem abiecit, superstitio, vt præesse iuberetur aliquis prouinciæ, quæ vel nulla extaret omnino, vel nullo pacto certe obtineri gerique

rique posset. Adolescens ipse humili loco natus ex vicinis Alpibus Tubingam studiorum caussa venerat; ibi in contubernio pauperum (Martinianum vocant ab autore institutionis) educatus, dum bonarum artium Magister renunciaretur, literas deinde docere cœpit, & Moguntiæ ludum aperuit, & postea etiam ad ecclesiasticas conciones habendas animum appulit. Ad quas maxima frequentia quum concurreretur, ita est ei ista curatio lata, vt sententia atque voluntas arctius deuinciretur, & ipse statum illum fulciret studiosius, & magis enixe sustentaret. Atque hinc est ad illud honorum fastigium euectus, rebus bello conturbatis, & discrepantibus iudiciis, diuersisque studiis collegii, producente eum Imperatoria Maiestate, cui ita commendatus fuerat, vt illius opera nihil non effici posse crederetur. Quæ eadem ferme eodem modo supra a me commemorata quum, his perscriptis, recordarer, non volui tamen delere, neque iterum hoc loco legi alienum duxi. Sane erat ingenium in homine acutum, industria haud vulgaris, facundia etiam & copia orationis egregia. Is igitur tunc quasi primum ordinem duxit eorum, cum quibus congredi deberent defensores eius doctrinæ, quæ nomine Confessionis Augustanæ significabatur; eratque veluti

veluti caput horum Philippus Melanchthon. Cognitioni autem præesse loco D. Augusti Principis Electoris legatus ipsius debebat, magnitudine animi, constantia, virtute, sapientia, humanitate etiam excellens, quod in adolescentia optimis literis præclare esset institutus, is quem supra nominauimus, Ludouicus Comes Neogardiensis. Habuerat hic aliquando præceptorem Fridericum Staphylum: quem iamdudum vel ambitionis impetus, vel nescio quæ cupiditatum quasi procella ablatum inter aduersarios constituerat, cuius ante quoque facta mentio est, hominis, vt nihil dicam amplius, despicati & leuis, quum non esset ab eruditionis doctrina prorsus imparatus. Omnino ex ipsis iam illis, qui antiquæ religionis patroni perhibebantur, non plane dementes, fateri cogebantur, suas partes & doctrinæ & rituum & vitæ vitiis aliquibus laborare, & non immerito notatos esse errores quosdam. Atque hi initio statim petierunt, vt disputationes non colloquendo sed scribendo haberentur. Id quod facile impetrarunt, quod non minus scribendo quam loquendo se valere confiderent defensores Confessionis Augustanæ. Qui quum præclare starent, inter ipsos optatissimum aduersariis dissidium extitit. Nam ab iis, qui accesserant cum Flaciano consulto, de

de illius sententia ante omnia postulare: vt damnati pronunciarentur quidam, qui illis, quorum paullo ante meminimus, nominibus mirificis & fictis infamabantur. Nisi enim hoc fieret, non fore inter ipsos firmam consensionem. Nihil fere erat inter hos, atque cæteros istarum partium, controuersiæ aut litis de dogmate. Petebatur itaque ab ipsis amanter, ne sine caussa autores esse vellent pernicioſi dissidii. Quin etiam damnationes promittebantur, sed suo loco & rebus explicatis. Dicebatur, ideo esse conuentum, vt caussa non controuersa ageretur, eam par esse vt ipsi concorditer tueantur. Alia quoque commemorabantur, quibus posse eos a proposito illo abduci spes esset. Sed nihil horum ipsi admittere, & vrgere postulatas damnationes secundum præscriptam formulam. Ibi tandem eis dictum fuit, licere initio, & esse melius, discedere, quam impedire actiones bonas & salutares. Tum demum illi & assensi sunt, & promisere sese vno ore & animo defensuros doctrinam Confessionis Augustanæ. Sane Philippus Melanchthon cupidus congressus, quique nihil impedimenti aut moræ inferri vellet susceptis actionibus, non repugnauerat contra postulata damnationum, atque has adeo cœperat agitare. Sed sociis atque collegis ma-

gnopere reclamantibus, ab hoc consilio destitit. Iam vero procedentibus disputationibus, quum res ageretur scriptis mutuis, rursum nescio qua noua caussa aut cogitatione impellente, requiri flagitarique damnationes, vociferationesque existere, & perhiberi, illis neglectis non posse coniunctionem esse stabilem atque certam, idque apud omnes, etiam aduersarios, testantum clamores audiri, & ita turbari inchoatæ disputationes. De quo alii tum aliter. Atque ita mirabiliter omnia miscebantur, vt nulli non suspicioni locus esset. Plerique tamen ad impotentiam animi & vetera partium odia illum discessum referebant, quem placuerat testatum esse forensi etiam quadam cautione. Erat autem additus Theologis istis quidam ex scriba Ludimagister, ex Ludimagistro factus Iurisconsultus, tanquam vel custos vel emissarius; quem animaduersum est, & loquendo & scribendo quasi flabello seditionis Flacianas conspirationes ventilare atque insuper conflare, & furiæ instar volitantem vbique odia atque discordias excitare:

cui tristia bella
Iraque insidiaque & crimina noxia cordi,
Mille nocendi artes: secundum Poëtam. Atque rumusculi de tota re sparsi fierunt varii, non

non etiam nulli inanes & falsi. Verum hoc quum aliis dissidentibus delectationi fuit, & doctrinæ, quæ Euangelica perhiberetur, obtrectauit, quod ista daretur occasio tam execrationibus, quam ridiculis quibusdam dictis; tum accidit contrariarum tunc partium defensoribus peropportunum, qui iamdudum animaduerterent, certamen illud iniquius esse comparatum. Nam se neque doctrina neque vsu exercitationeque iis, quibus opponerentur, pares esse sentiebant. Bonis autem pietatisque religiosæ ex animo studiosis illa tam intempestiua defectio ingentem attulit dolorem, quod pene parta victoria pro veritate se pugnare affirmantibus e manibus eripi videretur. Sed vrgebatur sic quoque progressio inceptæ disputationis, ab iis qui remanserant. At præses Iulius, vir prudens atque doctus, quod pro altero præsideret, ostendit, necesse se habere, rem perscribere Regiæ Maiestati.

CVII. Dum mittuntur autem literæ, & responsum expectatur, omnia fuere interim quieta, & profundum Berbetomagi otium. Inque hac actionum dilatione, accersitus Philippus Melanchthon ab illustrissimo Principe Palatino Principe Electore Othone Henrico Eytelbergam, vt de Academiæ con-

stitutione eo præsente deliberaretur, est profectus. Erat ibi Iacobus Micyllus, cultor & antistes, vt ait Poëta, rectorum & liberalium studiorum. Quo adiuncto, itemque aliis quoque doctrina & prudentia singulari præditis viris, administratio tota illa ordinata, rationeque conueniente ac laudabili, Philippi Melanchthonis consilio & autoritate, constituta est. Neque post hæc Micyllus integrum annum deinde vixit; qui natus Argentorati quum ingenio & bono & acri esset, Musis, id est, optimis disciplinis atque artibus se totum addixit, & quum veterum scripta explicando, tum componendo noua, & navauit operam inprimis & nomen celebre est consecutus. Commilitonem primum hunc habui Erphordiæ in Duringia, vbi de quadam actione scenica dialogi Lucianici, in quo personæ vnius hoc nomen esset, ita appellari est cœptus, neque nomen postea ei mutare visum. Maximum damnum literæ & erudita doctrina huius viri morte fecit. Et Philippus Melanchthon nosque cæteri, quibus notus ille fuerat, quique tum apud ipsum accepti amantissime & supra modum hilare cum maxima iucunditate fueramus, summo dolore sumus affecti. Nam ego quoque illuc veneram, exoratus ab amicis communibus, vt relictis rebus, quas tunc plane necessarias

sarias in manibus habebam, & posthabitis negotiis, quæ sane erant eiusmodi, vt celeriter expediri mea referret plurimum, ad Philippum Melanchthonem me quamprimum conferrem, vt nuncio accepto domestici luctus, ex mea præsentia, cuius consuetudinem & vsum ei iucundissimum esse scirent, aliquid illi contingeret alleuationis. Nam quum discedens filium vnicum, Philippi ipsum quoque nomen habentem, reliquisset periculose ægrotantem, conualuit hic quidem paullo post, sed vxorem Philippi Melanchthonis mox sustulit improuisa tunc quidem mors, inter sæuos cruciatus commotarum in toto corpore fluxionum mirificarum. Laborauerat autem & illa grauiter eo quo vir ipsius morbo, cuius nomen Græcum diximus esse λιθίασιν, Latini, quoniam tunc concrescunt in corpore quasi calculi, ita etiam illum morbum appellarunt. Sed concurrerunt tunc aliæ etiam difficultates, fortasse minus animaduersæ. Atque obiit illa quidem diem supremum suum non aliena ætate, quod annum sexagesimum omnino tunc habuerit, verum quæ & potuisset tamen per illam, si ita Deo æterno videretur, viuere diutius, & fuisset hoc marito opportunum atque vtile. Quum autem Eytelbergam ad ipsum veniissem, reperi ibidem & fratrem eius Georgi-

orgium. Gener vero Caſpar Peucerus ſecutus illum fuerat domo abeuntem, neque ab ipſius latere vſpiam diſcedebat. Meo adventu mirifice eum gaudere eſt intellectum. Nam ita acquieuit in complexu colloquioque meo, vt nulla de re publica aut priuata quicquam percontaretur, ſed tempus omne conſumeret conſuetis nobis ſermonibus. Indicium igitur caſus domeſtici placuit paullisper differre. Sed veriti ne ex aliis ille hunc cognoſceret, & ſuccenſeret nobis qui celaſſemus, ita poſtero die, quid euenisſet, ei oſtendimus. Non dedit ſignificationem vllam vehementis perturbationis, quum ingente dolore affici ipſum nemo dubitaret. Atque nominatim vxori mortuæ valedicens, hoc modo addidit, ſeſe eam breui ſecuturum eſſe. Et mecum ſeducto ad cameras vitium, nam in Principis hortos tunc forte conceſſeramus, multa locutus eſt grauiter & pietatis atque prudentiæ plena conſideratione, de Republica & aſperitatibus ac confuſione rerum pene vbique omnium, & deplorauit de iis, quæ fierent, veriſſimas querelas, & multorum triſtiſſimorum euentuum cauſſas commemorando, quæ etiam deinceps conſecuta ſunt, nimis vere nonnulla prædixit. Atque doloribus ob Rempublicam omnino opprimi, inque eo minus ſentiri ipſius proprium, quam-

quamuis recentem atque acerbum, apparebat. Quibus tamen implicatis triſtitiam augeri neceſſe fuit, qua corpore etiam languescente grauiſſime tunc laborauit ſuo illo malo morbi ſupra indicati, & maximis cruciatibus non ſine periculo eſt affectus, calculis grandiuſculis in vrinæ viis hærentibus diutius, quod fractis debilitatisque viribus minus ſtrenue ea præſertim ætate eiicerentur. Sed ad Berbetomagenſes actiones narratio reuocanda eſt.

CVIII. Regis Ferdinandi illuc reſponſo tandem allato, quo iubebatur: ante omnia, ſi fieri poſſet, inſtaurari ita diſputatio, vt tolleretur omne vndique impedimentum illius, vtque in eorum, ſi neceſſe eſſet, qui diſceſſiſſent, locum ſurrogarentur alii, & ita negotium continuaretur. Id quod cum decreto Ratisbonenſi congruere videbatur. Tunc igitur ii, qui antiquæ Religionis cauſſam defendere ſe gloriabantur, ſane perculſi, negare hoc ſibi faciendum, neque aduerſariis diſſidentibus, diſputationem producendam. Quid enim hoc profecturum? aut quæ ratio omnino ineunda eſſe videatur? quum ignoretur ad quas ſententias reſpicere debeant. Concordarent igitur prius aduerſarii, vt ſciri poſſet quid ab ipſis conſtanter retineretur & aſſereretur. Atque etiam hi

tunc de damnationibus quibusdam, imitantes eos qui discesserant, postulationes inculcarunt. Sed fuit diserte responsum: Totam rem decreto Ratibonæ facto, & regiis literis esse explicatam, & Augustanæ Confessionis defensores præsto esse, neque defugere aut recusare vllos legitimos congressus, & testari, si abrumperetur disputatio, sua id culpa nequaquam fieri. Nonnihil molestiæ solicitudinisque tunc Præsidi oblatum, sed altera illa parte nullo modo prosequi volente institutas disputationes, ita tandem iste conuentus dissolutus fuit. Quique ibi remanserant ex defensoribus Augustanæ Confessionis, Præsidis quoque testimonio laudati sunt. Et ipsi inter se quum priore necessitudine confirmata, tum noua societate inita, domum suam quisque reuersi fuerunt. Fridericus deinde Staphylus, qui se in aulam Regis Ferdinandi insinuasset, & augeret numerum eorum qui refellere deberent defensores Confessionis Augustanæ, scriptum edidit, tam futile, vt contemni, tam vero improbum & malum, vt animaduersionem non effugere debuisse videatur. Cuiusmodi & alia illius fuere vniuersa, quæ, postquam prodita causa desciuit ab amplectentibus doctrinam expositam capitibus Augustanæ Confessionis, diuulgauit. Atque mirabantur prudentiores, tantum licentiæ con-

concedi leuitatis furori, neque intelligi, quæ stabiliri isti vellent, ea vehementius eosdem labefactare, præsertim quum similis vesaniæ & ab hac infelicium euentuum exempla essent in medio. Quidam Auius etiam nescio quid tunc effutiuit scribendo. Philippus autem Melanchthon breuiter ille quidem & strictim ambobus, sed grauiter atque luculente, respondit. Atque hæc fere sunt tunc gesta, quibus Philippus Melanchthon & interfuit & præfuit.

CIX. Hoc eodem anno, post quasdam coram Principibus disputationes, cessit maleuolentiæ & odio Flacianæ factionis Iustus Menius, & Lipsiam se contulit, vbi humaniter & benigne acceptus diutius anno integro vno ecclesiasticas conciones habuit, cum audientum fructu & admiratione, mortuus placide III. Id. Sextil. anno Christi M. D. LVIII. Commendatus fuerat Senatui illius vrbis a Philippo Melanchthone, neque alibi defuturus ipsi locus fuisset, sed Lipsiæ contigit opportunus atque commodus. Varia atque multiplex fuit huius viri fortuna. Quicunque nostra ætate eruditionis & doctrinæ fama celebres fuere, cum iis vniuersis ipsi notitia necessitudoque & vsus interceſſit, & hi illum carum habuerunt & magnifecerunt. Multis annis fidelem & vtilem operam dedit

in regionibus Duringicis, & tandem ingraveſcente ætate, inſolentia & clamoribus acerbitatis turbulentæ exagitatus, quietiorem ſedem quæſiuit, & inuenit reliquæ ætati ſuæ non longæ, vt diximus. Mortuus fuerat ante hunc Wittenbergæ Iohannes Bugenhagius Pomeranus, paſtor Eccleſiæ illius, vir dignitate præſtans & in rebus maximis cum ſumma laude verſatus, contentus quidem ea conditione & illo loco in quo primum fuiſſet conſtitutus, quum ad ampliſſimos honores potentiamque & opes eximias perueniendi præclaræ occaſiones ipſi darentur: ad quas non ille quidem contenderet, ſed inuitaretur peneque attraheretur. Spectatiſſima hic cum fide & aſſiduitate mirabili officio ſuo annis triginta & quatuor functus eſt, & curationi latæ præfuit ſtudioſe ac ſolicite, & patiens & nequaquam fugiens laborum. Exceſſit ex hac vita annos natus ſeptuaginta tres, quum quidem aliquot annis fuiſſet perquam imbecillis, ſuperiore fere tempore integris & firmis viribus vſus. Quamuis autem immatura ea mors videri non poſſet, neque ætati ipſius aliena, neque decedenti grauis acciderit; diuturnæ tamen vitæ, communiter in rerum præcipuarum ſocietate peractæ, memoria, & vſus illius deſiderium, magno dolore affecit Philippum Melanchthonem & alios,

alios, mœrentes ob veterem & ſingularem amicum laborumque omnium & curarum participem amiſſum. Hic quum ſenſim viribus tam animi quam corporis deficeretur, & non morbi grauitate ſed diuturnæ debilitatis languore velut euaneſceret, animaduertebatur quaſi ſimulacrum prioris viri, in omnibus rebus agendis alacris & promti, intuentem Philippum non leuiter perturbari. Auditæque ſunt voces ipſius deprecantis, ne ſibi talis ſenectus contingeret. Id quod ſecundum optatum ipſius accidit. Nam ne morbus quidem, quo confectus obiit, vel impediuit præclariſſimas cogitationes pietatis & ſapientiæ ipſius, vel obſtitit memorabilibus & eruditis ſermonibus, vel reprimere potuit laborum, quibus conſueuerat, defatigationes, vt deceſſerit non admodum de ſtatu vitæ tractæ recedens.

CX. His temporibus neque Respublica quieta fuit, & in Eccleſia varie turbatum. Atque rurſum de conflanda Synodo verba fieri, & quibusdam tumultuantibus ſine fine, & modo hoc modo illud arripientibus ad exagitandum, iamque inter ſe iis, qui aſſertores defenſoresque veræ & ſanæ atque ſalutaris doctrinæ videri volebant, fœde dimicantibus, & contumelioſa Scripta edentibus, multorum animi grauiter perturbari. Sed

hoc

hoc magna pars nihil curare. Quasi Religionis caput esset, acerbitas dissensionum ac contentionum. Etsi, vt ingenia atque naturæ & institutio, sic consilia voluntatesque & actiones dissimiles animaduertebantur. Neque probabantur adeo omnibus omnia, quæ a suis quoque fiebant. Sed Berbetomagi acta valde reprehendi a Flacianis: & dari opera vt iis, qui suarum partium essent, congregatis decreta de illis fierent. Alii quoque cupidi tranquillitatis atque concordiæ, iudicare conuentu acto partis vtriusque laborantibus rebus consuli posse. Sed prudentiores statuebant contrarium, de exemplis antiquis & recentibus. Itaque nonnihil quidem negotii factum laborisque & molestiæ inter tales consultationes exhibitum fuit Philippo Melanchthoni. Sed vltra deliberationes & conatus atque studia tunc non est processum. Incidentibus præsertim & aliis grauioribus negotiis. Nam & Imperator Carolus omne gubernationis ius & Imperii maiestatem tradidit in manus Principum Septemuirum creandis Imperatoribus Romanis, & est idem paullo post mortuus in Hispania. Consilium hoc cepisse eum etiam ante annos triginta affirmabatur; sed tunc & exhaustis viribus & aduersis euentis fractus, desperatione quadam rerum omnium

um & amissione nonnullarum opportunitatum, id executus est, quod ratione quadam olim se facturum esse constituisset. Audiui, quum aliqui ab ea sententia abducere ipsum vellent, Carolum dixisse: Impendisse se quæ habuisset omnia, & quidem in fulciendum tuendumque maxime ecclesiasticum statum; pecuniam, quæ quidem reparari idque damnum sarciri forte posset; sed amissam quoque esse existimationem nominis, & valetudinem bonam, & studia hominum, quæ recuperaturus esset nunquam.

CXI. Annis duobus antecedentibus mortem Philippi Melanchthonis hospitem, hinc ad ipsum misimus senem Cappadocem Cæsarienſem, qui habebat literas Patriarchæ Constantinopolis, Græce scriptas, quibus itineris ipsius causſa indicabatur & commendabatur nomini Christiano. Pro filiis hic suis numerare certam summam pecuniæ debebat, qui interea in potestate Turcarum haberentur. Non deprehendebatur fraus vlla, eo magis animi omnium misericordia ipsius commouebantur, & renouabatur memoria Philippo Melanchthoni Basilii Episcopi, quem ciuem huius solebat appellare. Venit postea ad illum Demetrius quidam gente Mysus, qui in Græcorum Ecclesia Constantinopoli Diaconus fuerat, sermonis Græcipe-

ci peritus: isque satis diu in his regionibus commoratus est. Et Sabini duas filias elocauit Philippus, & nobiscum luxit obitum filiæ atque neptis meæ, & aliis domesticis incommodis communiter dolore est affectus. Sed neque curarum quies erat, quas afferebant & conuentus Ordinum Imperii qui Augustæ habebatur, & scripta quædam de ecclesiastica doctrina singularia atque mirifica, nec non edicta seuera; & alii item casus, conatus, molitiones, quæ multiplices & mirabiles hæc tempora quasi inundarunt.

CXII. Anno Christi Iesu M. D. LX. mense Ianuario obiit mortem valde senex & iamdudum decrepitus Argentorati Nicolaus Gerbelius, vir optimus atque integerrimus, & humanitate, suauitate morum, doctrina omni genere solidæ laudis excellens. Hic Iurisconsultus diu dederat operam collegio in illa vrbe sacerdotum primario, & aliquando Viennæ Austriacæ cum Iohanne Cuspiniano, & illius ætatis optimarum disciplinarum atque artium fama celebribus, vixerat familiariter. De quo accidit quod nullo modo reticendum putaui. Quum enim is esset vir ille, quem diximus, & probitate innocentiaque ac studio religiosæ pietatis commendaretur inprimis, quæ erant laudes in ipso decoræ & illustres, & prædicabantur ab omnibus:

bus: quidam in libello Rhetoricorum præceptorum suo exponens exemplum actionis capitalis, hunc tanquam sacrilegii reum nominatim introduxit, & ab accusatore peragi fecit. Quod factum, vt autor affirmabat, inconsiderate & temere, (etsi non est ista in professore Rhetorices bella defensio) & optimus atque innocentissimus vir Gerbelius, & amici ipsius grauiter, quemadmodum par erat, & perquam inique tulerunt. Deque ea iniuria tam atroce querelas suas ad Philippum Melanchthonem detulerunt, cui illius libelli scriptor notus esset; & significarunt, se constituisse, quibus modis possent pro fama & dignitate nominis Gerbeliani propugnaturos, & eam contumeliam ab ipso propulsaturos vindicaturosque esse. Ea res quum & Philippo Melanchthoni & nobis omnibus magnum dolorem afferret, videreturque magnopere vel exempli causa animaduertenda, & esset tamen autor libri is, in cuius persona etiam aliorum respectus verteretur, Philippi autem Melanchthonis animus, vt semper, sic tunc quoque, ad pacem atque concordiam inclinaretur, ita ab hoc est negotium illud his fere conditionibus transactum: vt criminis infamia ante omnia remoueretur, & nomina temeraria, vt affirmabatur, incuria falso inculcata statim inducerentur, & ipse autor

autor peculiari ſcripto fateretur iniuriam, eamque a læſo deprecaretur. Eſt autem omnibus nobis facinus illud viſum perquam indignum & malum, ſiue cogitatum ſeu per imprudentiam commiſſum. Quæ enim, ſi propoſito & conſilio factum eſſet, pœna autori irrogari deberet, conſtabat. Quis autem, a tali culpa fraudem malam abeſſe, poſſit dicere? Sed in ſcribendi edendique ſcripta infinita licentia, & leuitate ambitionis, & famam doctrinæ affectantium inſanis cupiditatibus, & hæc & huiuſmodi alia praua atque peruerſa accidere neceſſe eſt; quibus profecto plus damni datur moribus & vitæ, quam vllarum rerum demonſtratione aut explicatione bonæ vtilitatis conferatur. Atque tum & maiora quoque & cætera omnia fere ſic gerebantur, vt & in præſentia admodum turbulentæ res eſſent, & in poſterum nihil ſpei bonæ ſeſe oſtenderet.

CXIII. Sed Philippus Melanchthon, abducente eum propitio Deo & eripiente flammæ inuidiæ odiique maioris, & liberante grauioribus malis miſeriisque, vel ærumnis potius, euentus iſtos vitauit, & ex periculis laboribusque & angoribus, denique triſtitia aduerſisque omnibus, euaſit ea morte, quam illum obiiſſe iam diximus, & de qua extant narrationes copioſæ aliorum. Cuius diei anni-

anniuerſariam memoriam celebrat nunc quoque perquam ſtudioſe Academia Wittenbergenſis XIII. Calend. Maii. Quum vixiſſet annos LXIII, & totidem pene dies. Elatus eſt cum funere ſpecioſo totius ciuitatis frequentia, ordinis ſcholaſtici inprimis, & proſequentibus exequias illius externis quoque, in quibus & ego fui. Monumentum poſitum eſt ad ſepulcrum in templo ad arcem, opere præclarum, cum verſibus epitaphiis & effigie ipſius. Feſtinaueram autem ego, vt viuentem adhuc reperirem; ſignificatum enim fuerat, rem eſſe in præſente diſcrimine, quum ante dies paucos ab eo diſceſiſſem, non mala in ſpe, illo ipſum morbo non interiturum. Nam & tunc quinta tentatio (λήψις Græcis ſunt & παροξυσμοὶ) ſperabatur vel nulla vel mitior acceſſura, & ipſe cupidum me remanendi diutius reuerti domum ad meos iuſſerat vultu hilari & lætis verbis; quod diceret, proximo mercatu, qui iam appropinquabat, ſe ad nos venturum. Addens quidem hoc: vel vna perpetuo futuros aliquando eſſe in æterna vita. Sed ſeptima incurſio morbi finem fecit vitæ in terris ipſius; idque ego in itinere cognoueram. Cætera ab aliis ſtudioſe commemorata a me omitti recte potuiſſe exiſtimaui. Febri illum diſcedentem a nobis Lipſiæ, tempore parum opportuno, cœpiſſe

laborare animaduersum est. Quæ neglecta ab ipso, etiam ingraueſcens, in periculoſum inprimis genus putabatur euaſiſſe, quod Medici ἡμιτριταῖον vocant. Sed, vt aiebam, hæc accurate & copioſe enarrata ab aliis me repetere non eſt neceſſe, vel non etiam oportet.

CXIV. Vt luxerunt autem hunc mortuum boni vniuerſi, ſic nonnulli petulantes & improbi infectati fuerunt, controuerſiæque eccleſiaſticæ cœpere fieri atrociores. Renouantibus quibusdam quicquid poſſent contentionum acerbiſſimarum & plane capitalium; & commouentibus maxima & exitioſa mala, quædam non peſſime etiam ſita; denique molientibus omnibus viribus diſtractionem, qua, quod adhuc vtcunque cohæret & eſſet coniunctum, penitus diſcerptum dilaceraretur. Erupit autem tunc odium & inimica atque plane hoſtilis alienatio, eo diverticulo quod iamdudum quæſiuerat, quum aggreſſiones apertæ minus fuiſſent efficaces, vel ita futiles & infirmæ, vt primo conatu ſtatim langueſcerent & frangerentur. Arripueruntque nomini Philippi Melanchthonis infeſti diſputationes quasdam, quæ erant ad vulgus commouendum inprimis idoneæ, de ſacratiſſima actione in Eccleſia, qua inſtituto Ieſu Chriſti conuenitur ad communionem corporis & ſanguinis ipſius, participantibus iis,

iis, qui ſine controuerſia ſunt in cœtu eccleſiaſtico, vt ritu religioſo celebretur conuiuium dominicum, quemadmodum veterum quidam appellauit. Quæ res quum ſit eximia, & inter illa quæ arcana habet & peculiaria congregatio Chriſtianorum, caſta etiam oratione de ea vtendum eſſe ſemper Philippus Melanchthon ſtatuit, & non potuit diſſimulare interdum dolorem, quem caperet ex quorundam temerariis & abſurdis declamationibus; quum præſertim in certamen ventum eſſet, & acerrime pugnaretur tanquam prœlio commiſſo, non de veritate doctrinæ, ſed ſua cuiusque opinione & verborum locutionisque præſcripto vſu. Prodierat quoddam de ea quæſtione ſcriptum Philippi Melanchthonis, quo conſilio quaue occaſione aut omnino cauſſa, non habeo dicere; ſed prodierat, tale quidem, vt hoc, qui ex animo religioſæ pietatis ſtudioſus & vir bonus eſſet, offenderetur nemo, diligenter etiam & attente conſiderantes multa vtiliter ſubiici admonerique animaduerterent: non ita tamen quaſi limatum neque perpolitum, quemadmodum in iſto genere ſunt ea quæ edi divulgarique ipſe voluit, & continens mentiones de quibusdam liberiores. Quibus irritatum iſtud genus hominum ferox atque intractatum, excurrit immoderate, & eo eſt provectum,

vectum, vt neque pietatis ad Deum, neque officii ad homines, neque existimationis propriæ respectus vllus curaue eos attingeret. Equidem non dubito, quin apud aliquos ea vel suspicionem vel crimen subitura sint, quæ de his negotiis atque hominibus ad talem modum a me exponuntur, tam affectionis cuiusdam priuatæ atque singularis, quam iudicii & sententiæ peculiaris ac fortasse parum prudentis. Verum enimuero ob huius illiusue existimationem de me & hac narratione sermones, quum & initio & inter scribendum cogitarim atque præuiderim euentus fortunam, non putaui quicquam omnium omittendum, quæ & vera esse scirem, & prodita arbitrarer a bonis libenter lectum iri, & nonnihil quoque momenti allatura esse ad curam diligentiamque excitandam tractationis & considerationis earum rerum, quarum adhuc reliquas tanquam morbi afflictiones & tabem metuisse semper magna animi perturbatione Philippum Melanchthonem scimus, & sæpe audiuimus dicentem: in hoc extremum periculum & summum discrimen caussam esse venturam.

CXV. Quum autem istas res & hæc negotia post mortem Philippi Melanchthonis tres inprimis exagitare, & illis insolentia verborum ciendis, quasi camerinam, vt dicitur, com-

commouere cœperint, ad institutum fortasse argumentum de his & contra illorum impudentem peruersitatem aliquid a me differi, pertinere videatur. Sed mihi ne nomina quidem istorum exprimere scribendo libet, & supra prauitas malitiaque eorum est a me notata. Etsi autem dolendum est, occasionem eam tandem nactos esse, quam diu quæsiuerunt, improbos ac malos, vt, postquam e medio abiit Philippus Melanchthon, & in hunc cæterosque declamitare eis audacius liceat, & liberior sit potestas quasi curriculum furoris sui conficiendi; in dolore tamen propter miserias nostras & augescentes dissipationes, erupisse tandem omnem acerbitatem odii & maleuolentiæ impetus, gaudio videtur esse dignum. Nam neque quid amplius isti tanquam de penu turbulentæ malitiæ proferant, restat, neque iam præterea habent quicquam, quod ad Philippi Melanchthonis autoritatem diminuendam & nomen infamandum inculcari possit. Petebatur ante annos ille aliquot primum obscurius, mox deinde aperte accusationibus & reprehensionibus quorundam quieti & otio inimicorum. Assentari potentibus insimulabatur, & errores stabilire, & fulcire manifestæ impietatis ruinas. Quod rebus perturbatis non esset autor desertionis & fugæ,

quodque veluti de naufragio tabulas colligi ſtuderet, & perferenda arbitraretur omnia, quæ bona conſcientia & ſine ſcelere tolerari poſſent, neque noua vulnera infligenda eſſe cenſeret rebus communibus. De his quas telas grauiſſimorum criminum, & quam ſæ-vas accuſationes detexuerit ingrata quorundam improbitas, non eſt fere cuiquam ignotum. Quibus iam in vehementia & inſolentia euaneſcere incipientibus, ecce altera ad vulgus, cuius fere arbitrium ſpectatur, plauſibilior cauſſa offertur, & huius actores iam exultant, & vrgent reum, mortuum illum quidem & fruentem requiete ſempiterna, quemque tales clamores & inſectationes non amplius attingunt. Quum conculcare tamen immanitas odii iacentem geſtiat, & huius nomen cupidiſſime arripiat, ad ipſius quidem, vt putant, ignominiam inprimis, cui infenſi ſunt, & pro maximis beneficiis eam referunt gratiam, vt memoriam eius omnibus probris aſpergere conentur: ſed hoc tamen interea agitur, ne vſpiam ad Reipublicæ ſalutem & dignitatem conſentiatur, vtque noua quædam impedimenta obiiciantur concordiæ ſperatæ. Veritatem autem perueſtigari, & futiles atque nugatorias fabulas & declamationes populares cohiberi, non eſſet vtile omnibus. Quod multi, qui in iſta confu-

confuſione opinionum & licentia vitæ & hominum leuitate magni ſunt ac conſpiciuntur, rebus negotiisque explicatis & conſtitutis, contemnerentur & laterent. Quinetiam non paucis tunc pericula impenderent, & cauſſa dicenda eſſet quum factorum tum dictorum. Turbulenta igitur eſſe tempora eis prodeſt, vt captantibus anguillas, ſecundum Græcum Comicum, aquam turbidam. Atque vnus ex iſta cohorte, id quod antea quoque indignantes attigimus, procurrens non modo viuos, ſed mortuum etiam Philippum Melanchthonem prouocat, & optat ſupereſſe eum in hac vita, vt ſuas vires congrediendo cum ipſo oſtendere poſſit. Nos vero multo magis & verius, adhuc viuere in terris, ſi ita Deo æterno videretur, vellemus Philippum Melanchthonem; non tam explorata ſpe, facile iſtam temerariam audaciam ab ipſo refutatum iri, quam certa ſententia, non ſolum multorum vociferationes reprimi, ſed tranquillitatem & pacem Reipublicæ, & doctrinæ cœleſtis puram integritatem, optimarumque diſciplinarum & artium honeſta ſtudia, huius viri reſpectu, cura, diligentia, induſtria, pietate, fide, potuiſſe conſeruari. In quibus quæ labes fieri cœptæ ſint, nimis eſt euidens, & quid calamitatis immineat, audaciſſima vel potius impuden-

tissima istorum scripta indicio esse possunt. Nam si hoc concedatur & liceat vesaniæ, in quosuis arbitrio suo inuehi, & quodcunque libuerit, ex ore inuerecundo, conceptum animo proteruo emittere, & chartis temere illitum ita in vulgus spargere, vt aniculæ etiam legere & cognoscere possint; neque doctrina veritatis cœlestis sincera retinebitur, & hic furor statum adhuc qualemcunque rerum & studiorum piorum fortunam conueller, contemtumque pariet horum, & reddet inuisa plerisque tribuentibus hanc culpam hominum ipsis studiis. Ac ostentare sane videntur isti & prouocator ille gloriissime eruditionis literatæ copiam. Quam cur aliquis eis inuideat caussa non est. Inserant sane Græca aliquot verba, & excerpta de commentariolis & libellis Grammaticis quædam agglutinent, & affectent nitorem orationis. Nemo vt admirabitur, ita fortasse hoc reprehendet. Sed id pene est horribile, quod dialecticam subtilitatem & complexionum solertiam eam adhibent, qua, sua quidem opinione, vincunt atque prosternunt vniuersos. Eius tamen profecto facultatis nisi viam rationemque demonstrasset Philippus Melanchthon quæ illa esset, genus omnino istud ignoraret. Etsi male didicerunt hi, si quid tamen didicerunt, & tanquam simii id, quod illum

illum facere viderunt, peruerse imitantes, doctis sunt ridiculi, quum grauiores admodum ipsis etiam irascantur, quos maximis in rebus non pudeat ineptire & prodere inscitiam suam, vel ludere etiam scientes. Quod tamen haud scio an non faciant, quum tanto supercilio rationes futiles atque dissentaneas colligant ac concludant. Quemadmodum autem simiarum, (nam huius animantis similitudo isti nationi inprimis conuenit) conantium gestus humanos exprimere, prauitas eminet, si vna cum hominibus illæ moueantur aut saltent: ita istorum futilitas fit manifestior, quando suas nugas doctrinæ applicant, & contra ea, quæ sunt ab aliis vtiliter & præclare scripta, suas ineptias proferunt. Atque videri possit alicui non aliena etiam his Platonica fabri calui & pusilli imago. Vt hic enim pecuniam nactus, iam lautus & ornatus filiam Domini ducit coniugio abhorrentem; sic ipsi temere irruentes in professionem omnium præstantissimam, populari applausu quasi ditati, & præceptoris sui rapientes eruditionis atque doctrinæ opinionem, infelice & præpostero vsu veluti progignunt commenta vanitatis atque dementiæ, ad fallendum & turbas dandum apta atque nata, & accommodata ad accelerandam ruinam Reipublicæ, quasi mœreant nimis tarde eam

concidere. Itaque omnem moram ægre ferunt. Nihil placet exquiri aut considerari. Sed tanquam equi habenis ruptis insano cursu efferuntur, quæ ipsi arripuerunt ea retinentes, & impetum temerarium facientes in omnes. Interea, quid cui congruat atque consonet, non curant. Tanta scilicet acrimonia tamque excellente vi ingenii præditi, vt, quamuis cuncta misceant, confundant, inuoluant, perturbent, ipsi tamen placere sibi & cæteros præ se contemnere valeant. Quod si aduersantes sibi nullo alio argumento refellere potestas detur, tum in promtu est aut interrogatio mirabilis & infesta, nullam attentionis & diligentiæ responsionem admittens, aut petulans irrisio, qua eludantur si qua contradicuntur, aut conuicium maledicum aduersarios proterens. Postremo, omnibus aliis artibus & viribus consumtis, ad zeli iactationem & ostentationem Fidei deferuntur. Non cogitantes, peruersum aliquem solere & improbum zelum expertem necessariæ cognitionis, & omnem Fidei sanctæ doctrinam esse consentaneam oportere, ne analogia illius conturbetur. Hanc silentio prætereundam non putauimus vel malitiæ improbitatem, vel dementiam superbiæ, vel odii etiam cæcitatem. Quæ cuncta modo non magis insidiantur neque fraudem parant

parant nomini Philippi Melanchthonis, sed manifestam faciunt impressionem, & quasi machinis admotis illud oppugnant. Vt Homerica scilicet de eo fama ad posteritatem relinquatur Zoilorum & Daphidarum: qui non statuam pietate & doctrina præstantissimi viri, sed multo illustriora monumenta scriptorum ipsius, flagellis nefariorum conuiciorum verberasse perhibeantur.

CXVI. Si quid autem est profecto vnquam editum, neque argumento concinnum, neque verbis elegans, neque aptum sententiis, neque oratione compositum, sed dissolutum, inane, vulgare, arreptum, vt dicitur, e triuiis, id prorsus est, quod rabies istorum effutit. Tollat enim aliquis importunitatem arrogantiæ, leuitatem scurrilem insectationum, petulantiæ exultationem; in summa, inducantur inepta, friuola, proterua, nugatoria, falsa, futilia, partium quoque iudicio indecora & mala; perparum relinquetur atque supererit in istis infelicibus chartis, vt admodum pauca aliena, & qui interdum, secundum Poëtam,

Purpureus late qui splendeat vnus & alter
Assuitur pannus.

Cur

Cur vero, pugnaces isti inquiunt, non refutantur nostra? Cur nemo respondere nobis audet? Quia enim sunt illa talia qualia diximus, & qui sapiunt cum insanis insanire nolunt, neque existimant ea tractanda esse, quorum qualicunque contactu inquinari ipsos necesse esset: maluntque expectare tempus, quo illa, quasi araneolarum telæ, sua sponte euanescant, quam committere, vt sua veluti propagatione diutius durare possint. Maxime autem omnium demiror, quid in animo vni ex istis fuerit, quum Philippum Melanchthonem *veteratorem* nominandum putauit. Si tamen quid insanis in animo sit, aut quid hi putent, aut omnino quid ab ipsis fiat, mirandum est. Hoc quidem nomine qui recte sunt vsi, ii significare voluerunt malitiosam improbitatem, & fraudes calliditatis, & perplexas astutias. At enim constat omnibus, neque isti, qui crimen hoc infert, ignotum est: fuisse Philippum Melanchthonem alieniſſimum in tota vita sua ab omnibus fraudulentis consiliis & subdolis actionibus, fugientem ambigua, & perspicua sequentem, inimicum fucatis & tectis & confusis rationibus, & ei quam Sophisticen ille solebat vocare. Quæ tamen minus iam vsurpatur, quum plerique non versute rem inuoluere conentur, sed aperte falsa atque ficta asserere non dubitent.

Quemadmodum seruus Comicus se non tam furacem esse ait, quam antea fuisset, quod rapiat propalam. Dat autem hanc eis licentiam quum vitæ dissolutio, tum migratio Philippi Melanchthonis. Non faciem enim, quemadmodum de se ait apud Homerum Achilles,

Cassidis ipsius contrariaque ora tuentur.

Neque est vero tanta acrimonia ingenii in isto manipulo, neque patientia laboris in discendo, vt fallaciæ conclusionum (quæ sunt Sophismata) callidæ saltem & speciem aliquam habentes ab ipsis vel expectandæ, vel magnopere pertimescendæ esse videantur. Cur vero hi defatigarentur cogitando, comminiscendo, fingendo, quod vel sententiis implicaretur, vel exornaretur verbis; quum admittat leuitas huius ætatis mendacia manifesta, & impune dicatur atque fiat, quicquid audet verecundiæ expers animus? Sed redeo ad veteratoris crimen vanitatis iocularis. Arreptum hoc est de illa quæstione, quam commouit non Philippi profecto Melanchthonis attenta atque religiosa pietas, sed importuna quorundam vehementia, & superba confidentia, & audacia turbulenta, cum pernicie publica & mœstitia bonorum omnium incredibili. De qua quidem nos disputare nunc

nunc non volumus, neque hoc vlcus intempestiua manu tangere, neque adeo rixandi, quæ a multis quæritur, occasionem suppeditare.

CXVII. Ex his autem vnus, quem nescio quo pacto vt supra nominaremus rei indignitas expressit, quum turpiter desciuisset a caussa, essetque iam aduersarius manifestus, qui cum infausta detestandaque nuper terra exorta tanquam Gigantea, & sanctissimum solumque salutare Iesu nomen infamante familia sese coniunxerat; quamuis vt in agris consitis sues, multos scrobes foderet, & passim huc atque illuc rueret, seque in compluribus veluti herbis salutaris & puræ doctrinæ euellendis defatigaret; in vnam tamen maxime partem incubuit vehementia iracundiæ suæ, vt obtrectando Philippi Melanchthonis nomini cæterorum omnium cupiditatem atque conatus vinceret, cum iis, a quibus aliis in partibus dissentiebat, oppugnando Philippi Melanchthonis dignitatem pietatemque & doctrinam, concurrens atque conspirans, (odii inuidiæque & communium simultatum acerbitate eos alienissimos, tanquam aspides ichneumonesque & crocodilos, contra naturam ipsorum conciliante) vt sanctissimos manes simul infectentur, & religiosissimum sepulcrum Philippi Melanchthonis

thonis perfodiendo violare conentur. Atque isti quum inter se inimicitias aliis de rebus ingentes gerere & vehementer dissidere videantur, specie quidem differunt, sed genere prauitatis extremæ similes sunt atque germani. Vtrique enim ii sunt, quos ipsorum de se præconia non minus quam aliorum delectent, vel qui illa quoque verbose facere consueuerint, quum ab aliis aut non omnino aut admodum parce fiant. Videri igitur aliquid esse apud certos homines, quibus sese venditant, & eminere existimatione cupiunt: verum neque res eædem sunt, neque iidem homines vtrisque contingunt. Ita iam forma tantum diuersa est, genus improbitatis vnum. Et congruit nunc istud maxime, quod eandem materiam artifices isti sumserunt, de qua criminationes & probra in Philippum Melanchthonem mortuum exsculperent, illud inquam scriptum, cuius paullo ante facta est mentio. Primum autem quis non videt, de illo litigare cum Philippo Melanchthone neque integri sensus neque sanæ mentis esse, quum ille viuus non ediderit. Tota enim res hæc ad eos iam pertinet, qui istud diuulgandum curauerunt, magnis & grauibus de caussis, consilioque prudente, & ratione, quemadmodum nos credere par est, vera. Hi igitur accusantur cum aliis quibusdam hoc in negotio sociis,

inque

inque hos iſte improuidus impetus ſeſe infert. Sed quid eſt tandem, in quo ſcriptum illud tam male de iſtis mirificis hominibus meritum videri poſſit? Niſi quod cupidiſſime arrepta occaſio eſt, non tam inſectandi Philippum Melanchthonem, quam ad præſtigiis quibusdam illudendum legentibus, & cæcandas imperitorum mentes, iſtamque offundendam caliginem. Quæſita eſt inuidia Philippo Melanchthoni non ab eorum, quæ ſcripſit, vitio; verum ab alienæ calumniæ interpretatione, vel, verius vt dicam, cauillatione. Etiam de aliis viri illius monumentis idem fieri comperitur. Et cernimus pene indies aliquid tanquam perſonæ nouæ in ſcena prodire huius non librorum modo ſed epiſtolarum & dictorum. Quæ fiunt nunc impune omnia & audacter, ſublato eo, cuius grauiſſimis verbis & verorum ſcriptorum autoritate facile refutarentur, quæ eum læderent vniuerſa. Non quod ipſe pro ſe aduerſus aliquos dicturus ſcripturusue fuerit quicquam, qui nunquam ſuæ famæ aut dignitatis tam ſtudioſus fuit, vt ſe defendendo & a ſe impetum atque vim aliorum propulſando, vehementer aut turbulente diceret aliquid aut ſcriberet, quemadmodum in contentionibus fieri ſolere ſcimus; ſed rem euoluendo & ediſſerendo, ambigua remouendo, propria

pria atque certa ſtabiliendo, falſa confutando, vera aſſerendo, futilia ac nugatoria reiiciendo, id perficeret profecto, vt ſtolidæ aut peruerſæ leuitatis & impudentiæ furioſa temeritas concideret atque reprimeretur, vna Philippi Melanchthonis plana & ſimplice vel explicatione vel aſſertione. Eſt autem in his attendentibus inprimis moleſtum atque odioſum, quod mentio fit earum rerum, quas culpantes vel iis non interfuerunt, vel non curarunt admodum cognoſcere, vel demonſtratas malitioſe inuoluendo obſcurant. Inculcantur odioſe nomina quædam, & dogmata exponuntur, verbis illa quidem aſperius & ſententiis iniquius, & his aduerſatus Philippus Melanchthon aliquando fuiſſe & reſtitiſſe fortiter, & cauſſam poſtea prodidiſſe inſimulatur. Sic autem iſta agitur Tragœdia, vt quælibet diſſenſiones ſtatim mirifico quodam zelo capitales fiant, quique aliquibus non applaudunt ii ſtatim hoſtes ab ipſis iudicantur. Non libenter verba his de rebus facio, non quod vllorum criminationes pertimeſcam, qui omnes paullo moderatiores, & non ſimiliter petulantes atque ipſi ſunt, per contumeliam neutrales aut transfugas etiam appellant; ſed ad alia reſpiciens, quæ nunc referri neceſſe non eſt, timidius iſta attingo. Quum autem inſultantes mortuo Philippo

Melanchthoni quum aliis colligendis declamatores, vt ſibi videntur, ſint acres & vehementes, tum in ſcripti iſtius, cuius mentio ſupra facta eſt, crimine equitant ferociter, omnibus contumeliis appetentes famam & nomen optimi & ſanctiſſimi viri. Improbaſſe aiunt aliquando eum quædam. Ille vero ſemper improbauit neque neceſſarias & mirificas quæſtiones, & multo maxime diſceptationes pernicioſas, & rixarum cauſſas. Quum autem cerneret, a quibus, quæ res, quam alieno tempore proferrentur, neque ita, quemadmodum oporteret, eas tractari exiſtimaret, nunquam diſſimulauit ſibi inexplicatam nouitatem magnopere diſplicere. Itaque aliquorum promulgatores & diſſeminatores, quæ vel de induſtria elate vel ingeniorum aſperitate dici horride videbantur, nequaquam collaudauit. Oppoſuitque adeo ſuas etiam tum admonitiones quorundam procliuitati ad inaudita atque noua, vt inconſiderata leuitas coerceretur, quod omnia vbique periculis cerneret eſſe pleniſſima. Hæc circumſpectio & ſolicitudines iſtæ, non modo hac in parte ſed multis aliis notatæ & reprehenſæ fuerunt. Aliis timorem, aliis prudentiæ humanæ rationes criminantibus, non etiam nullis Philoſophiæ eruditionem hac occaſione exprobrantibus. De quo plura dici nihil

nihil attinet, quum præſertim antea quoque nonnihil ſit commemoratum.

CXVIII. Vt autem fortitudo & robur animi, & fiducia virium, & promta libertas orationis, ſuam laudem habet; ſic, quemadmodum opinor, non eſt vituperanda in magnis grauibusque rebus attentio & cura & prudentia. Quod ſi (nam humanum eſt errare) dictum vel minus cogitanter, vel nimis vehementer, corrigendum putaſſet Philippus Melanchthon, ideo ne tam atrociter fuit ille inſectandus? O miſeram conditionem omnium, qui ſcribendo operam, quacunque in doctrina nauant, ſi ſunt errata ſtatim ſcelera exiſtimanda, & mutatio ſententiæ habenda perfidia! vbi igitur hoc? Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Quam multa ſæpe nunciantur negligenter, male, falſo? Quoties ſibi perſuadet aliquis id, in quo decipitur? Quantum etiam momenti in temporibus eſt ſitum? Quibus qui mouetur, is ſtatim ſapientibus iſtis leuis eſt atque inconſtans, vel etiam veterator & verſutus. Immo cothurnus eſt, quicquid ad ipſorum pedis diſtortiſſimum prauiſſimumque exemplum non quadrat, ſecundum quod ea calceamenta ſuta videmus, in quibus iamdudum turpiſſime, qui illa induerunt, gradientes claudicant, aut certe miſere & de-

formiter oberrant. Iam sublato studio enarrandi aliquid planius, disertius, rectius, illustrius, non parum fructus decesserit de doctrinæ tractatione vniuersa. Horum istud genus nihil intelligit neque considerat. Quod acceptum est, id sicut claudus pilam, quomodo aiunt, retinere, & in sententia perseverare, neque si quid in ea absurdi reperiatur putare corrigendum, neque enitendum, vt commodius aliquid dicatur: quasi hoc sit discedere a veritate, & prodere caussam. Cum quibus de his ne disputandum quidem est, ab omnis humanitatis sensu nedum prudentiæ consideratione alienis. Est autem illis ad huiusmodi omnia ad imperitam multitudinem perquam plausibile in promtu hoc: rationis ista esse commenta & argumenta sapientiæ humanæ. Quum ipsi quidem de præcipuis & maximis rebus argumentari & ratiocinari inprimis conentur. Minime illi quidem ratione & via atque ordine, ad explicandum tamen id quod volunt, & suas maxime cogitationes, quæque comminisci & extruere & conglutinare non dubitantes; modo diuidentes dissipando, modo definiendo magis ambiguum reddentes id de quo agitur, modo complectendo distrahentes & soluentes. Neque enim distinguere hos dissimilia, neque diuersa separare, neque notiones rerum certa

ta descriptione demonstrare videas, & sumere vel falsa, vel dubia atque dissentanea, & inferre inducereque abhorrentia, vt solum hoc eos moliri putes: disturbare bene collocata, & firma conuellere, & ordinata confundere, denique cum ratione quadam insanire. Hoc vero vitant atque cauent, ne in ipsorum scriptis notari reprehendique fere quicquam possit, quod nullus in his tanquam formoso corpore nævus conspiciatur, sed tota illa futilia atque distorta ac fœda sint. Verum reducatur oratio ad propositum.

CXIX. Non modo iam molesta est istorum hac in parte hostilis oppugnatio, sed quum alia proferuntur, tum, vt vereor, proferentur deinceps illi ex oreforte elapsa, prolata sine cogitatione accurata, etiam surrepta, suppositicia, commentitiaque; de quibus & disputari in vtramque partem, & crimina facile confingi in Philippum Melanchthonem poterunt, rebus, temporibus, hominum etiam voluntatibus atque studiis diuersis. Philippus Melanchthon nunquam fuit vel autori vel actor in negotii neque necesrii & impediti atque turbulenti. Nunquam probauit aut adiuuit, vel potius, quantum potuit, repressit aduersando intempestiuas vel etiam temerarias excursiones. Fuitque ei curæ semper, vt & ipse considerando inquirendoque verum comprehenderet, & veterum sententias proferendo, aliorum quoque

cogitationes incitatas decertando & excurrentes longius conuerteret, & ad rei ipsius contemplationem diligentiorem reuocaret, ne fugerent, vt dicitur, præter casam. Quantum profecerit modo non dicam, quum palam sit, non paucorum vagas & temere effusas cogitationes quasi in gyrum reductas fuisse moderatione Philippi Melanchthonis, & hoc perfectum, vt iudicia essent attentiora & severiora, certe nemo, præter insanos istos, nocuisse hoc facto ipsum perhibebit. Ea profecto, de quibus vociferatur ista in caput Philippi Melanchthonis coniurata cohors, talibus clamoribus non explicabuntur. Quorum sunt tam inepta atque ridicula scripta, vt contemni ab omnibus sanis credibile sit: sed eadem etiam adeo rabiosa ac venenata, vt animaduersionem perquam diligentem commouere debeant. Quam quidem iis, quibus conuenit, curæ esse æquum est. Quantum sane credendum his sit, si nondum vel iis constitutum est, in quorum illi fauorem se insinuant, at hinc par fuerit æstimare: quod nunc tam exquisitis conuiciis furenter inuehantur in eos, a quibus benigne admissi, & amanter tractati, & multiplicibus beneficiis aucti & ornati fuere, quosque laudibus aliquando maximis extulerunt, & quorum actiones singulari studio defenderunt, quum eis

sese per omnia assentiri profiterentur. Potestne autem ab his constantem sibi voluntatem polliceri, aut eis fretus esse aliquis, qui vel existimationis honorumque spe, vel emolumenti mercede, a priore sententia & animi inclinatione illos desciuisse, & amicos cum inimicis commutasse sciet atque perpendet? Nam commune istud: Dei respectum & veritatis esse præferendum vniuersis; quantum valere in leuium & infidelium sermone debeat, quis non perspicit? Ad Iudæos, ad Sarracenos, ad quamcunque sectam transirent isti, idem dicerent. Spectetur igitur hoc potius, quæ caussæ istius tantæ mutationis fuerint, quid hi secuti sint, in quæ iam vnde desiliant. Quam nihil grauitatis, honestatis, religionis, nihil humanitatis ac moderationis conspiciatur in consiliis, dictis, scriptis, actionibus ipsorum; atque hinc fiat iudicium, quantum eis tribuendum, quid habendum fidei, quo dignitatis gradu collocandi esse videantur. Quid autem commisit aut deliquit, obsecro, his in rebus Philippus Melanchthon? Nam hoc ad veritatem narrationis istius, vt exquiratur, pertinet. De quorundam audacia est locutus minus clementer. Insanas extructiones damnauit, quibus non cessarent aliqui hyperbolis alias hyperbolas imponere, id est, mirabilia dicta

mirabilibus exaggerare, & ſecundum proverbium, arcem ædificare ex arena. Vidit, illum aceruum & hanc molem non conſiſtere. Vidit, ita declinari fumum, vt incideretur in flammam. Monuit, hortatus eſt quos potuit. Increpando etiam quosdam corripuit ſane molli, vt aiunt, brachio obiurgans. Quod ſicubi hic erraſſet, ſi lapſus eſſet, ſi deliquiſſet; erat profecto iſtorum, tueri illum mortuum præſertim, peccatum culpamque, quæ in eum conferretur, remouere & tegere, defendere, quantum concederetur, amicum, fautorem, beneficum, magiſtrum, præceptorem, quod nomen iſtis morte triſtius eſt. At ipſi quid faciunt? Rimantur quod nusquam eſt, eruunt omnia, ficta atque falſa oſtentant. Tanquam obſcœnæ aues ad ſepulcrum eius aduolant, aut vt canes cadauera, ſic famam nomenque lacerant. Nam quod ad errores, quos confutare iſti ſe profitentur, attinet, ita ſeſe res profecto habet, vt iſtæ confutationes multo quam ea, quæ ad confutandum ſumuntur, plures dent errandi occaſiones, præterquam quod ſunt variiſſimæ, & ſi quis conuicia, probra, maledicta, criminationes eximat, nihil futurum illis ſit inanius. Quin etiam ſi quid forte eſſet in iis, quod dici putaretur recte, aut cognitionem haberet cum vtilitate coniunctam; non ab iſtis tamen

tamen talibus oporteret audiri. Ac potius, quemadmodum quondam Spartiatis viſum eſſe accepimus, vt vtilia atque bona dicerentur, non ab ignauo, futili, impuro, quamvis eſſet audax & loquax; ita ſi quid notari in Philippi Melanchthonis ſcriptis oportere exiſtimaretur, æquum fuerat, non hoc ab iſtis fieri, ſed a conſtantibus, doctis, piis, religioſis, amantibus patriæ. Quæcunque Philippo Melanchthoni explicare placuit, & ad quæ ediſſerenda tempus otiumque ei conceſſum fuit, ea haud ſcio an melius, dilucidius, verius, fidelius, religioſius expoſitum iri a nullo noſtræ ætatis atque gentis exiſtimandum ſit. Quæ reliquit inchoata, aut noluit, aut non potuit, impeditus negotiis, tandemque morte ereptus, perficere; de iis cateruam iſtam ſilere melius erat, neque hoc ſibi ſumere, vt illa deſtruere & alia neſcio quæ exædificare auderent. Verum de hominum iſtorum improbitate & ſcriptorum impudente vanitate, ad id quod propoſitum eſt ſatis, pro negotii magnitudine, parum diximus.

CXX. De cauſſa atque re ipſa vt neque inſtitutum fuit, neque mihi fortaſſe congruat diſputare, ita liceat, niſi fallor, monere hortarique omnes veritatis cœleſtis, patefactæ interprete Filio Dei æterni Deo æterno,

amatores, & fideles Iesu Christo, autori salutis atque vitæ, honestos denique & bonos: ne temere hac in parte prolabantur atque ruant. Tam amplum, arduum, impeditum negotium non conficietur vesanis clamoribus, neque tam intempestiuo stridore, neque istis conuiciorum plaustris. In Christiana religione quum vniuersæ virtutis cultus necessarius sit, decus quoddam certe illius atque pulcritudo eminens temperantiæ modestiæque, non poterit neque debebit omitti atque negligi. Hippocratis veteris Medici hoc est: Remedium esse interdum bonum, si nullum adhibeatur remedium, tam ad aures quam alia multa. Quod idem elegantibus versibus his Naso expressit:

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Et vetus verbum, strepitus nocturnos ventorum non durare diu, affirmat, secundum hanc Græci versus sententiam:

Nunquam aquilonem lux nocturnum tertia vidit.

Patiatur pietatis moderatio dicere istos quæ volunt, neque ægre ferat lenitatem ab eis levitatis, & cautionem timoris nomine infamari. Non curetur ignominiæ falsæ macula, quæ istorum petulantia aspergitur quietis & sanis. Non obstet mentio legum veterum

rum (nam, vt acuti videantur, aliqui eas tanquam in iudicio, quo reus peragatur Philippus Melanchthon, recitant) facta ab iis, qui si scirent aut cogitarent quid omnino lex esset, non tam secure omnes diuinas atque humanas leges contemnerent, & adeo insolenter perrumperent. Quum ipsorum talia scripta sint, vt, si quod vnquam capitale prodiit, & quod in plurimarum legum quasi plagas incideret, istiusmodi centones hos videri, nonnullis eorum quoque, qui causæ, quæ oppugnatur, non fauent, arbitrer. Legibus, vnus ex isto grege, qui se esse in quadam scholastica congregatione νομοφύλακα gloriatur, Imperatoriis teneri Philippum Melanchthonem scripsit, De Mathematicis & maleficis, quod studia ille Mathematum magnifecerit & commendarit. Huicne respondendum quicquam aliquis putet? Alter Solonis etiam antiquam legem recitat: vt orta seditione, neutri se parti adiungere, capitale sit. O hominem bellum, applicantem & interpretantem Atticam sapientiam, sapientiæ humanæ inimicum. Quod si Atticis legibus nugator iste delectatur, cur optimam atque præclarissimam legem scelerate violat, qua maledicta in mortuos omnia capite sanciuntur? Talibus igitur scriptis an opponere suorum aliquid iam quisquam volet,

volet, qui quidem ſapiet, neque pariter atque illi delirabit? At clamant iſti, &, refellat nos aliquis, inquiunt. Nam ſicut præfidentes pugiles aut irritatæ mulierculæ hoc poſtulant, iocantes etiam inſultando ridiculis, & falſa dicta inculcantes, ab omni vrbanitate atque adeo humanitate natio aliena. Decedatur potius eis, tanquam lutulento procorum gregi, ſemita: & concedatur eis iſta gloria quod inuicti ſint. Sunt enim profecto iis armis, quibus ipſi decertant, impudentiæ, dementiæ, clamorum, cæci impetus ruentis in omnia, agitatæ feræ inſtar. Hoc igitur reſtat, abire paulliſper & abſcondere ſe, dum tranſeat furoris incitatio. Non eſt pietatis religioſæ cumulare rixas rixis, neque Deo æterno grata acceptaque vel veritatis talis tractatio. Non adiuuant aut ſubleuant talia, aut augent, multo minus ornant Eccleſiam Chriſti. Itaque alia medicina quærenda, vel ad hanc faciendam præparatione opus eſt. Nimirum, vt quaſi caueis quibusdam includatur & ſepiatur immanis hominum feritas. Nam ita, quorum hæ partes ſunt, ii tuto & ſua proponere, & vim aliorum ſuſtinere, & ordine atque ratione quærere de dubiis, explicare obſcura, manifeſta aſſerere, falſa refutare poterunt. Quibus omnibus iamdudum obſtat & aduerſatur vulgaris iſta importuni-

tunitas, & turbulenta ambitio, & impiæ ſeceſſiones, & ſpecies præſtigiarum, quibus non modo multitudinis animi, ſed quorundam etiam præcipuorum decepti fuere. Ne liceat igitur, neque poteſtas ſit vlli, ſuam opinionem ſuo arbitrio diuulgare, & condemnare ſententiam alterius. Non declamitare ad populum temere concionando; non ſcriptis impuris diſſentientum nomen atque famam contumelioſe inſectari, ante cognitionem controuerſiæ, & ſua cuiusque ſponte ac libidine. Cui ignota autem eſt huius ſæculi licentia dicendi ſcribendique, & imperita plurimorum audacia, & indocta doctrina, & incredibilis quum arrogantia tum pertinacia? Hoc quam breuiter nunc dicitur, tam neceſſarium illud quidem exiſtimandum eſt, ad ſpem veritatem & inueniendi & retinendi. Sed ſi iſtud obtineri nequeat, & niſi ita adminiſtretur negotium, idque perficiatur, vt & ſumma diligentiæ cura adhibeatur, neque labori vlli atque ſumtibus parcatur, neque reſpectus admittatur ad commoda ſua cuiusque, ac ſolius Dei æterni gloriæ ſeruiatur; melius fuerit ſcilicet, rerum iſtarum quaſi habenas relinqui, vt ferantur omnia, ſicut hactenus, regente hominum nemine. Studium omnino religioſæ pietatis facile docebit vnumquemque, quod ſit officium & munus ipſius,

ipsius. Hoc autem deferentes prætermittendo, aut violantes seruiendo cupiditatibus prauis, quicunque tandem ii sint, horum peruicacem impietatem, breue longumue fiat, non patietur Deus æternus esse impunitam, cuius misericordiæ & benignitati atque clementiæ immensæ permittantur cætera. Quorum quidem acerbitas odii in mortuum Philippum Melanchthonem nunc incitatur, quam nihil non exquirunt atque scrutantur, quo lædi fama nomenque ipsius posse videatur? Si illum se cæde, si sacrilegio, si perfidia contaminasse vel mentiri auderent, quanta alacritate & lætitia facerent? Sed non habent scelerati discipuli, quod optimi innocentissimique & integerrimi Præceptoris vitæ ac moribus probrosum crimen inferant; & doctrina Philippi Melanchthonis non modo contra istorum maleuolentiæ impressionem, sed aduersus omnem omnium oppugnationem, satis est munita, seque tuetur ipsa atque defendit. Boni quidem certe & pii, venerantesque Deum æternum, & honesta studia amantes, quibus inuisa est non modo superstitio sed etiam barbaria, qui amant veritatem & mendacia oderunt: hi igitur nihilominus vel studiosius quoque colent memoriam & celebrabunt laudibus Philippi Melanchthonis nomen: detestantes, tanquam furia-

furiarum instinctus, latratus istorum, de quibus nunc potissimum loquimur, & his similes aliorum. Neque sane illius causa grauiter molesteque ferent maledicta, quæ in ipsum coniicere isti non cessant, sed hoc dolebit: tantum licere improbitati inuidiæ & odii acerbitati, vt prætexens hic aut ille veritatis cœlestis patrocinium, tam grauia vulnera, prohibente nemine, infligat Ecclesiæ Christi, adeo hostiliter in nomen Philippi Melanchthonis inuehendo. Quem profecto quorum furor ad insectandum arripit, in eo, vt arietes cornua statuæ æreæ inferentes, sic ipsi sese incurrendo comminuunt atque frangunt. Neque ab his iam mali quippiam Philippo Melanchthoni accidit, sed ipsi plane stimulum, quod dici solet, calcibus feriunt.

CXXI. Cum illo vero & est actum & agitur optime. Omnia, quæ ad præclarissimam existimationem & summam laudem pertinentia optari ab homine fas est, ei contigerunt. Puer infantiæ opinionem atque spem, pueritiæ adolescens, adolescentiæ vir superauit admiratione omnium, quam ipsam vicit senescentis ætatis quasi viriditas mirabiliter operosa, neque industriæ expers neque fugiens laboris, & nullo in munere exequendo languida, & in occupationibus consueti-

perse-

perseuerans. Nunquam ille affectauit titulos neque ambiit honores, & summos atque amplissimos, iudicio consentiente, & vno omnium ore, est adeptus. Qui confusa atque disiecta in doctrina tam cætera quam Ecclesiæ collocando atque disponendo, & implicata quasi enucleando, & expediendo hærentia, & confirmando dubia, & indiserta explanando, non modo plurima, in quibus priores errauerant, correxit, & perfecit vt nostra ætate esset doctrina spectata atque illustris, sed ea reliquit elaborata opera studii & industriæ suæ, vt si non auerti prorsus ruina sinceræ atque puræ doctrinæ, vrgentibus nobis fata nostra, certe differri posse videatur. Fuerit in ipso vitii aliquid. Quædam nescierit, Lapsus deceptusque alicubi sit. Fuit enim homo, & solius Dei esse scimus, vt omni labe ignorantiæ & macula turpitudinis careat. Confirmare tamen hoc, vt opinor, liceat: inter nostros homines sanctitate religionis, ingenii excellentia, sapientiæ virtutisque splendore, pietate, humanitate, beneficentia, omnis officii munere, ea quidem conditione qua ille fuit & tali loco, parem ei hac ætate fuisse neminem. Futurus ne aliquis sit posthac, incertum est. Cui vero non est perspecta, atque adeo experiendo cognita, Philippi Melanchthonis facilitas in moribus, bonitas erga suos,

suos, comitas liberalitasque in omnes? Si quid autem fecit perperam, eo feciſſe profecto perhibere liceat, quod auxit ornauitque indigniſſimos, quosque etiam Reipublicæ nocituros esse interdum suspicaretur. Tanta autem erat in ipso consulendi rationibus & prouehendis commodis aliorum & benefaciendi quamplurimis cupiditas, vt neque petentibus denegare sciret quicquam, & vltro deferre quibusuis operam, consilium, facultates suas impertireque soleret. Istud igitur sit peccatum ipsius, quod aluit & fouit improbos, & serpentes, secundum proverbium, in sinu. Accidit hoc semper optimis atque probatissimis. Quorum tanta scilicet est & tam absoluta atque simplex bonitas, vt nihil in animum suum penetrare patiantur, quod benignitatem impediat aut obstet humanitati.

CXXII. Atque iis quæ dicta sunt, hoc saltem effici confido, vt omnium iudicio statuatur: melius honestiusque sentiendum esse de Philippo Melanchthone mortuo, quam inter viuos nunc quoque obuersantibus invidis, maleuolisque & obtrectatoribus ipsius. Qui quid hominum sint, non dicam; neque eam iniuriam viro optimo & sanctissimo faciam, vt cum istis illum comparare voluisse videar. Quid igitur est? Vt tandem nostra

narratio concludatur. Optimus & sanctissimus vir Philippus Melanchthon quum ita vixisset, quemadmodum vere commemorasse me etiam inimici fateri cogentur, pie & religiose morte obita, tot commoditatum autor, tot bonorum conciliator, cuius omnibus pietatis virtutisque amatoribus memoria veneranda, & ad posteritatem etiam gloriosior futura est: hic igitur talis & tantus vir mortuus conuiciis laceratur, & ignominiis impiorum probrorum appetitur. Quem doctiores quoque & saniores ex aduersariis, quum vix diligere possent, propter constantiam tamen & fidem & admirabiles virtutes plurimas odisse non vellent. Quo quidem ille animo, consilio, proposito, studio, ad cognitionem professionemque ac doctrinam sacrarum literarum accesserit, scit Deus æternus, & est ingenio hoc ipsum laboribusque eius, & operum bonitate, omnibus mortalibus, non maleuolentia atque odio cæcis, declaratum. Atque idem Deus istorum quoque, arrodentium nomen & probrum sanctitati labemque integritati Philippi Melanchthonis inferre conantium, siue in calcaria seu carbonaria, vt dicitur, obscurorum opificum, pectora voluntatemque perspicit. Quæ quidem ab eis prodita inque lucem prolata sunt, eiusmodi specimen dant, vt

vt quid cogitent velintque agendo demonstretur. Ex quibus hoc non est postremum: quod, quum inter viuos inuidia soleat vigere, mortuos autem inimici quoque odisse desinant, tanta istorum non inhumanitas est, sed immanitas, vt in Philippum Melanchthonem mortuum suos demum stringant gladios & tela intendant. Qui, quoad vixit, & negotiis maximis grauissimisque Reipublicæ & Ecclesiæ Christi est adhibitus, proposita cunctis in medio quasi palma, studio salutis & incolumitatis publicæ, cum conseruata veritate coniunctæ; vicit omnes & religione pietatis, & industria atque studio ac laborum defatigatione, & constantia atque fide, & tempestiua moderatione. (Quamuis hanc culpare aliqui audeant, non modo nomini Philippi Melanchthonis sed paci & quieti inimici.) Neque quisquam est repertus, qui se ei præponere non dubitaret. Atque hæc sunt ignota nemini. Vt autem luctus funeris Philippi Melanchthonis caritatem bonorum, ita quorundam lætitia odium etiam malorum indicauit. Quorum vtrumque famam existimationemque hominum meliorem reddere consueuit. Vitam autem talem, qualis expositione nostra indicata est, post grauissimos & maxime vtiles labores, post operam publice priuatimque nauatam,

post stabilitam illustratamque doctrinam veritatis cœlestis & bonarum artium, post subleuatos, adiutos, auctos, ornatosque innumeros sine discrimine, omnis otii quietisque expertem ille placidissimo & optatissimo fine clausit; ea ætate sua, & eo tempore Reipublicæ, vt, quemadmodum vtens verbis Pauli Apostoli aiebat, decedere hinc & migrare ad Christum cupientem permulta impellerent. Cum eo igitur, vt diximus, optime præclarissimeque est actum. Nostra caussa viuere ei licuisse diutius, optandum, & stare quasi in acie, non modo aduersus manifestos hostes, sed qualescunque tranquillitatis turbatores; qui glorioſa temeritate optantes hunc viuere, conspectum omnino & faciem illius ferre sustinereque non possent, fugientesque eo viso & arma abiicerent, & alas demitterent, quantumuis modo ferociter ac superbe procurrant atque euolent. Non sane læditur omnino Philippus Melanchthon ab istis tanquam viperarum sibilis, aut hyænarum bubonumue diris funestisque cantibus ac sonis. Quo ista licentia pertinere euadereque possit, quorum maxime interest, ii scilicet considerabunt, & quum sibi tum aliis in hoc periculo prospicient. Quoties existet, quod alicuius ambitioni impedimento sit, quod cupiditati obstet, quod opinioni refragetur,

getur, toties arripietur occasio vel constituta disiiciendi, vel exulcerata amplius lacerandi, vel excitato incendio vires addendi suggerendo materiam. Quando igitur concordabitur? quando de vlla controuersia decidetur? quod negotium aut quæ res transigetur vnquam? Nos, vt qui e longinquo prœlium spectant, mouentur illi quidem alterius vtrius partis fortuna, & optant, sperant, metuunt, opitulari neutris valent: sic quid facere possumus aliud? quam perturbari ista cernentes animo, & precari veluti in Tragœdia chorus:

Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis;

id est, vt ista elata atque contumax & insolens petulantia in viuos atque mortuos, & turbatrix in præsentia quietis, & spem tranquillitatis in posterum præcidens, & incutiens metum sæuissimarum procellarum & horribilium tempestatum, reprimatur ac coerceatur ab iis, a quibus & potest & debet. Non autem necesse est exempla vestigare eventuum, qui istiusmodi concessos dissimulatosue conatus sunt consecuti.

Ante oculos interque manus sunt omnia nostras,

secundum Poëtam. Vigilent igitur & attendant

tendant ii, quorum maxime res agitur, quorumque proprium ac peculiare munus, & præstandi officium patriæ, & sibi quoque ac suis prouidendi. Nos cæteri, animæ viles, vt idem Poëta ait, poterimus silere confirmati vtcunque ad ea ferenda, quæ acciderint.

CXXIII.. Absoluimus id opus quod suscepimus ad elaborandum, id est, veram de Philippo Melanchthone narrationem; & officium persoluimus debitum non solum amicitiæ nostræ, sed omnino meritis ipsius. Neque me fugit, legentibus hæc eorundem repetitionem iniucundam esse, & inde fastidium posse existere. Tota enim, vt ita vocem, farrago huius libri, quid aliud complectitur, quam curas, labores, solicitudines, dolores, denique miserias Philippi Melanchthonis? In quorum expositione eædem sententiæ iisdem sæpe verbis iterum atque iterum recensentur. Sed dabitur venia mihi, vt spero, a non iniquis lectoribus; qui ea sum persecutus, quæ in re ipsa ineffe animaduertissem, vt & verum indicium nostrum, & simplex narratio testimonii loco haberi debeat. In aliis, siue quis minus quam oportuerit omittendo, seu inculcando plus quam decuerit, esse dictum, seu notandum in verbis compositioneue aliquid forte

forte putauerit; etiam eum ignoscere velim non tam festinationi meæ, (non parum enim temporis in his conscribendis absumsimus) quam lapsibus, qui sunt etiam acutissimorum sapientissimorumque & doctissimorum. Narrationes sane has verbosiores & totam expositionem pleniorem efficere, adiiciendo commemorata ab aliis, atque adeo nostra edisserendo prolixius, & quasi dilatando, fuisset in procliui. Ego vero & in meis seruandum mihi modum putaui, ne euagarentur illa longius, quam viderentur debere; & quæ aliunde peti facile possent, ea nostris inserere nolui, quod esse rectius arbitrarer, vnumquemque illa per se cognoscere, aut recordari ipsum. Sunt autem plurima & ab ipso Philippo Melanchthone & ab aliis conscripta, de plerisque negotiis tractatibusque & disputationibus religionis caussa habitis, agitatis, susceptis; quorum neque intercidit memoria, & quæ sunt articulate edita in vulgus, vt, si quis forte requirat, in promtu sit assumere, & eis hæc nostra quasi accumulare. Fortasse autem non breuitatem aliqui in his accusabunt, sed mentione de quibusdam nimis verbosa offendentur. At mihi, si præterire silentio quædam voluissem, quæ notari aut reprehendi quoque possent tanquam alieniora, aut minus aliquibus iucunda, aut non etiam nullis odiosa: ne vel diligen-

tia ſtudii, vel cura veritatis deſideraretur, verendum fuit. Expoſui igitur hæc ſimplice narratione, & quaſi iuratus verbis conceptis, & ex animi ſententia, ſic, bonorum vt his grauatum iri confidam neminem. De aliis neque magnopere ſolicitus ſum, & diſplicere noſtra illis, quam grata acceptaque eſſe, malim. Vt iſta autem proferrem atque ederem, id, quod vere cum Poëta affirmare poſſum,

non gloria nobis
Cauſſa, ſed vtilitas officiumque fuit.

Vt enim de Philippo Melanchthone, qui vix alio familiarius quam me eſſet vſus, commemorare comperta mihi atque explorata, ad officium meum pertinere, ſic cognitionem iſtorum aliquam legentibus vtilitatem allaturam eſſe duxi. De quo tamen ſtatuat quisque quod volet, (& eſſe enim diuerſa iudicia diuerſorum ſcimus, neque poſtulamus, vt contra ſententiam animi ſui de his aliquis decernat) & euentus, qui Deo viſus fuerit, & hic noſtræ expoſitionis finis eſto.

Epitaphium

PHILIPPI MELANCHTHONIS,

ſicut initio conſcriptum,
laminæ enim æreæ ſpacium quædam
non admiſit.

PHILIPPO MELANCHTHONI, SACRARVM LITERARVM SOLERTISS. ET FIDELISS. EXPLICATORI, VERITATIS COELESTIS PATRONO ET PROPVGNATORI INPRIMIS STRENVO, OPT. DISCIPLINARVM ET ARTIVM QVVM INSTAVRATORI TVM CONSERVATORI: QVI OMNEM DOCTRINAM QVASI VAGAM AC DISSIPATAM COLLEGIT ET AD CERTAM RATIONEM REVOCAVIT: VIRO PIETATE, STVDIO PVRAE CASTAEQVE RELIGIONIS, SAPIENTIA, VIRTVTE, HVMANITATE, BENIGNITATE ERGA OMNES PRAESTANTI, FELICITER ET SANCTE IN TERRIS MORTVO XIII. CAL. MAII, C. V. AN. LXIII. M. II. D. II. H. I. ACADEM. WITTENBERG. CVI ILLE TOTIS ANNIS XLII. OPERAM NAVASSET,
H. M. P. C.

M. D. LX.

Vitam fortunasque suas studiumque laboris
Quique operæ sanctam consiliique fidem
Impendit diuina tuis, Ecclesia, rebus,
Teque pius varia iuuit & auxit ope:
Hac in parte sibi post mortem structa Melanchthon
Communi in luctu busta Philippus habet,
Quæ templi foribus magni vicina Lutheri
E regione solum quod tegit ossa videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Vnde propinqua petens adiit bonitate suorum
Diuerso Aonidum templa sacrata loco.
Ludus enim puerum accepit Phorcenidos vrbis,
Eytelbergiaci mox schola gymnasii.
Doctrinæ hinc fecit iuuenem alma Tubinga Magistrum,
Eximium laudis gessit vbi ille decus.
Inde triumphator monachorum Capnio iussit
Albidos hunc ripam visere Saxonici.
Tunc noua Dux Fridericus vbi collegia Musis
Romani fundans Ensifer imperii,
Vndique conductis præstanti laude parabat
Artis & ingenii reddere clara viris.
Hic & coniugium gentis sortitus honestæ,
Factus & est sexus mox vtriusque pater:

Et

Et socio ipso annis viginti octoque Lutheri
Wittenbergiacæ res fuit ampla scholæ.
Quam septem bis adhuc prouexit deinde gubernans,
Fluctiuagam vt vastum per mare nauta ratem.
Heu tempestates quas hic perpessus, & ad quam
Scuos hæc scopulos acta carina fuit!
Quantum externii odii, quantum inuidiæque suorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit!
Ipse tamen quamuis reflantibus vndique ventis,
Directum est, retinens vera, secutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec vulgus strepitu mouit inane suo.
Summa petit liuor: Nemo hunc superare nisi ipse
Posset, si studiis otia suppeterent.
Ista sub obliquo norunt quoque sole locati,
Quique sub oppositio forsitan axe iacent.
Scripta sed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ solidæ nomina laudis habent,
Vnum opus eximium est: Fidei confessio sanctæ
Ante tuos, Cæsar Carole, lecta pedes.

Extat

Extat enim illius assiduo hæc descripta labore,
Vera reconcinnans dogmata sparsa prius.
Languida qua Christi iamdudum Ecclesia niteps
Rursum oculos audet tollere læta suos.
Concurrant inimici omnes licet vndique, hic vnus
Confutare potest improba dicta liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama, Philippe,
Viuit & æternum spiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,
Condecorant gratæ quem monumenta scholæ:
Quod tandem expletis, senio curisque gravatum,
Sexaginta annis exuis atque tribus.
Sit morbo vt paucis nisi debilitante diebus
Muneris officium feceris omne tui.
Atque olim æthereas venies reuocatus in auras
Integer, & mortis liber abinde metu.
Sancte vir & salue pater optime. Nos, tua semper
Te soboles merita religione colet.

Doctri-

Doctrinæ nobis veræ tu doctor & autor,
Hæc tua clara ætas munera laudis habet.
Salue iterum atque iterum. Tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

Ioachimus Camerarius,
Pabepergensis Am. S. S. F.



Sarco-

Sarcophago ſtanneo, in quo Academia Wittenbergenſis in templo arcis, iuxta D. Mart. Lutherum, exuuias Philippi Melanchthonis condidit, impoſitum fuit hoc ſcriptum.

IN hac ſandapila continentur exuuiæ Philippi Melanchthonis, qui fuit Profeſſor ſacræ Theologiæ & Philoſophiæ in Academia Vitebergenſi annos XLII. Vir præſtans doctrina, humanitate prudentia, vitæ integriate & ſanctimonia, Chriſtiana pietate ac tolerantia, beneficentia erga pauperes. Reuerendi viri Doctoris Martini, purioris religionis inſtauratoris, Δαϛάτης & adiutor præcipuus & fideliſſimus in emendatione doctrinæ ſacræ, fraude Pontificum Romanorum & Monachorum præſtigiis corruptæ, & in abrogatione abuſuum, inuectorum ab iisdem: autor Confeſſionis Auguſtanæ, quæ eſt, poſt inchoatam anno 1517 emendationem Eccleſiarum & mutationem, exhibita inuictiſſimo Imperatori Carolo Quinto, in comitiis Auguſtanis, anno a nato ex Maria virgine Ieſu Chriſto Saluatore 1530. Propugnator veritatis cœleſtis conſtantiſſimus totis annis triginta, quum in pluribus conuentibus Imperii, tum alias priuatim & publice, ſicut ſcripta, quæ extant, teſtantur. Natus eſt in oppido Palatinatus ad Rhenum Bretta, honeſtis parentibus, patre Georgio Schvvarzerd, qui fuit Magiſter armorum apud illuſtriſſimos Principes, PHILIPPVM & RVPERTVM, Palatinos ad Rhenum, Electores Imperii &c. qui & Maximiliano Imperatori, & præcipuis Germaniæ Principibus, propter virtutem, integritatem, prudentiam, & artem carus fuit: Matre vero Barbara Reuterin, anno 1497 die menſis Feb. 16. hora 7. ſcrup. 6. poſt ſolis occaſum

ſum veſperi. Accerſitus Vitebergam, ex Academia Tubingenſi, ad interpretationem Græcæ linguæ, ab illuſtriſſimo Principe FRIDERICO III Duce Saxoniæ & Imperii Electore, conditore huius Academiæ, de conſilio Iohannis Reuchlini cognati eius. Venit in hanc in vrbem anno 1518 die 25 menſis Auguſti, hora prima pomeridiana. Ibi Lutherus motis iam controuerſiis, quum probaret ingenium eius, copiam ac varietatem doctrinæ, & iudicii acumen ac rectitudinem, ſibi eum adiunxit. Vxorem duxit Catharinam Crappin, natam ex honeſta familia in hac vrbe, anno 1520 die 25 menſis Nouembris. Ex hac ſuſcepit filios duos & totidem filias. Filiorum Georgius altero anno mortuus eſt. Philippus patri ſuperſtes. Filiarum Anna nupta fuit Georgio Sabino I. V. Doctori. Magdalena Caſpari Peucero artis Medicæ Doctori. Coniux Catharina deceſſit ex hac vita anno 1557 die 11 menſis Octobris, quum maritus abeſſet Wormatiæ, miſſus eo ad diſputationem, inſtitutam decreto Senatus Imperii de controuerſiis religionis. Ipſe Philippus reuerſus ad Academiam, vixit poſt coniugem in cœlibatu vsque in annum tertium; quo ſub noctem feſti die Palmarum, vt vocant, febri correptus, quam medici iudicarunt eſſe ἡμιτριταῖον, tandemque ſuperatus morbo, propter imbecillitatem corporis, confecti ætate, curis, & laboribus aſſiduis ac diuturnis, expiranit placidiſſime, cum vera & ardenti Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti inuocatione, die menſis Aprilis 19 quadrante horæ ante ſeptimam veſpertinam, anno a nato Chriſto 1560, a condito mundo 5522, has terras clementer & feliciter gubernante illuſtriſſimo Principe AVGVSTO, Duce Saxoniæ, Sacri Romani Imperii

Imperii Electore & Archimarschalco, Landgrauio Thuringiæ, Marchione Misniæ, & Burggrauio Magdeburgensi, quum compleuisset annos 63 dies 63. Anima fruitur conspectu & consuetudine Filii Dei, cum Ecclesia cœlesti, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Exuuias, certissima & firmissima spe futuræ resurrectionis, condidit hoc sepulcro Academia Vitebergensis, soluens Patri, Patrono, & Præceptori optimo, fidelissimo & carissimo, gratitudinis & pietatis officium supremum. Anno 1560 die mensis Aprilis 21. Rectore Academiæ, Georgio Cracouio I. V. Doctore & Professore. Professoribus Theologiæ, Paulo Ebero Pastore, Georgio Maiore, Paulo Crellio, Doctoribus, Professoribus doctrinæ Iuris, Laurentio Lindemanno Ordinario, Ioachimo a Beust, Iohanne Schneidewein, Doctoribus. Professoribus doctrinæ Medicæ, Melchiore Fendio, Casparo Peucero, Iohanne Hermanno, Doctoribus. Professoribus Philosophiæ & liberalium artium, Vito Ortel Winshemio artis medicæ Doctore, Sebastiano Theodorico, Matthæo Blochingero, Petro Vincentio, Efromo Rudingero, Casparo Crucigero, Iohanne Bugenhagen, Henrico Mollero, Eusebio Menio, liberalium artium & Philosophiæ Magistris. Et Academiæ ministris, Nicolao Risenbergio & Michaele Maio, Anno, mense, & die, quo supra.